Dieckmann, Oskar
De Granii Liciniani
fontibus et auctoritate

Berliner Studien

für

classische Philologie und Archäologie.

Sechzehnter Band.

Drittes Heft.

DE GRANII LICINIANI FONTIBUS ET AUCTORITATE

SCRIPSIT

OSCAR DIECKMANN

DR. PHIL.

BEROLINI 1896.

APUD S. CALVARY & Co.

DE GRANII LICINIANI FONTIBUS ET AUCTORITATE

SCRIPSIT

OSCAR DIECKMANN
DR. PHIL.

BEROLINI 1896.
APUD S. CALVARY & Co.

Ottoni Hirschfeld

Sacrum.

Granii Liciniani fragmenta a. 1857 primum a Carolo Pertzio ex codice ter scripto musei Britannici Londinensis edita[1]) statim adeo virorum doctorum oculos in se converterunt eorumque studia incitaverunt, ut iam viginti diebus post Philologorum Bonnensium heptas alteram editionem publici iuris faceret.[2]) Etiam in proximorum annorum annalibus nonnulla allata sunt ad scriptoris recens inventi tempus determinandum vel hic illic verba emendanda. Sed opinione celerius haec studia languescebant. Quamquam magni rerum Romanarum scriptores nostri non desierunt investigare, quid novi Licinianus suppeditaret, ita ut alii fere omnia ab illo tradita pro veris esse accipienda sibi persuaderent, alii plus minus iis diffiderent, tamen in universum haec fragmenta matura oblivione obruta sunt. Ne ad verba quidem multis quae vel post alteram editionem exstant mendis liberanda ex anno 1860 quisquam accessit. Maximeque est dolendum, quod quibus Licinianus usus sit fontibus, accurata quaestio omnino non inita est. Paene omnes fidem habuerunt Madvigio,[3]) qui satis confidenter causis vix allatis pro certo affirmavit fragmenta illa excerpta esse ex Livii historiis.[4]) Nam Madvigii auctoritas tanta erat, ut aliud iudicium rarissime proferretur. Velut Klebs „De scriptoribus aetatis Sullanae“ (diss. Berol. 1876) p. 5 sq. dubitat, utrum iis foliis, quae ad bellum

---

[1]) Gai Grani Liciniani annalium quae supersunt ed. K. A. F. Pertz (Berol. 1857).

[2]) Grani Liciniani quae supersunt emendatiora edidit Philologorum Bonnensium Heptas (Lipsiae 1858).

[3]) „Verh. der dänischen Gesellsch. d. Wiss.“ Dec. 1857, quam disputationem invenis etiam in Kl. phil. Schr. p. 391 sqq.

[4]) Haud aliter iudicant Teuffel, Röm. Littg. 359, 5, Müllenhoff „Deutsche Altertumskunde“ II. p. 122, Wachsmuth „Einleitung in d. Studium d. alten Gesch.“ (Lips. 1895) p. 617 aliique.

civile pertinent, Livius ipse fons fuerit an uterque scriptor hauserit ex eodem fonte, id quod Bienkowski „De fontibus et auctoritate scriptorum historiae Sertorianae“ (Cracoviae 1890) p. 36 sq. verum esse existimat. Atque unius certe fragmenti iam alius auctor atque Livius extricatus est a Maurenbrechero, qui in Prolegg. ad C. Sallusti Crispi historiarum reliquias (1891) p. 15 sq. firmis argumentis nixus demonstravit Liciniani narrationem rerum post Sullae mortem gestarum fluxisse ex Sallustii historiis.

Quodsi in hac disputatione id ipsum accurate examinandum mihi proposui, quo ex fonte unumquodque Liciniani fragmentum manaverit, haud ignoro hanc quaestionem esse difficillimam cum propter fragmentorum brevitatem tum propterea, quod eae ipsae res, quae his fragmentis traduntur, alibi perraro nobis occurrunt, ac de quibusdam rebus prorsus desperandum esse videtur. Tamen quod haec quaestio maxime necessaria est ei, qui de hoc scriptore et inprimis de fide eius historica certum atque rectum facere vult iudicium, laborem pro virili parte subire animum induxi.

Priusquam autem ad ipsam quaestionem accedamus, necessario de tempore operis Liciniani nobis est disputandum atque incipiendum a scriptoris nomine.

Compluribus codicis paginis inscriptum est nomen 'Liciniani', uno loco (fol. IX r) Georg. Henr. Pertz, qui primus codicem inspexerat,[1]) legit 'Grani Liciniani' atque ibidem putavit esse praenominis vestigia „a ductibus litterarum GAI haud multum diversa, quae tamen accuratius distingui non poterant“. Filius non vidit nisi 'Liciniani' (cf. ed. Bonn. p. XIII et 12). Sed huic rei non magnum momentum est tribuendum. Nam etiam fol. VIII r, ubi Pertz pater legit 'Liciniani', filius iam nihil potuit discernere, quod quomodo factum sit, filius ipse ad illum locum (fol. IX r) explicare studuit (cf. ed. Bonn. p. 12 adn.). Mirum sane est scriptoris nomen uni paginae aliter inscribi atque ceteris. Tamen, cum G. H. Pertz codicum legendorum peritissimus nomen Granii

---

[1]) Vide praef. ed. Bonn. p. VII sqq. — A Bonnensibus principalis foliorum series, quam Pertz non cognoverat, certo inventa est. Itaque Bonn. ed. ubique sequemur.

se identidem atque perspicue vidisse testetur,[1]) non recte fecit D. Comparetti in Mus. Rhen. XIII (1858) p. 457 sqq. et Archiv. stor. Ital. X (1859) p. 87 sqq., quod firmissimo illo testimonio neglecto solum nomen Liciniani pro certo habuit. Adde quod cum paucis tantum foliis titulus legi possit, satis temere concludas librarium in nomine inscribendo semper eandem rationem esse secutum. Ergo nomen scriptoris fuisse Granium Licinianum mihi persuasum est. At praenomen Gai incertum esse ex Pertzii verbis supra allatis elucet.[2])

Iam perlustremus aliorum testimonia: Granius Licinianus quidam commemoratur a Macrobio Sat. I, 16, 30 'apud Granium L. libro secundo' et a Servio ad Verg. Aen. I, 737 'Grani Liciniani cenae suae*'. Sed ea, quae et Macrobius et Servius afferunt, spectant ad antiquitates (cf. fr. I et II apud Bonn. p. 46) neque ex opere historico sumpta esse videntur. Accedit, quod Macrobius Granium Licinianum testatur in libro secundo narrasse lege Hortensia anni 467 (287) nundinas fastas esse factas; historias autem Liciniani verisimile est initium cepisse a Roma condita (cf. infra). Unde manifestum est in altero earum libro non potuisse mentionem fieri illius legis Hortensiae. His de causis Macrobium et Servium non ex eo Liciniani libro, cuius fragmenta nobis in manibus sunt, hausisse confitemur. Attamen si consideres horum quoque fragmentorum scriptorem libenter afferre res ad antiquitates pertinentes, id quod infra pluribus exponemus, facile assentiaris Pertzio et editoribus Bonn., qui hunc eundem putabant esse atque illum a Macrobio et Servio commemoratum, quamquam haec quaestio ad liquidum confessumque perduci vix potest.[3]) Quod si recte

---

[1]) „Nomen Grani pater mense Octobri anni 1856 (re vera 1855) per XV fere dies sine ullo dubio legit."

[2]) Commemorat quidem Pertz filius praef. p. VII adn. legisse se fol. IV u 'C. Liciniani', sed in textu cum patre cognomen tantum posuit. Quare hac de re iure dubitari puto.

[3]) Et Granii et Liciniani saepius apud scriptores et in inscriptionibus occurrunt (cf. De-Vit, Onom. III p. 271, IV p. 133, C. I. L.), utrumque autem nomen coniunctum duobus tantum locis supra allatis. At Licinii Graniani ex inscriptionibus noti nobis sunt (C. I. L. II 4225 sq., 4609; X 5670).

statuimus, inde quod Macrobius secundum Granii Liciniani librum affert quasi unum tantum huius scriptoris opus exstet, apparet hoc, quod de antiquitatibus erat, opus tam clarum notumque fuisse, ut de hoc[1]) potissimum cogitaretur, cum Granius Licinianus laudabatur.

Sed editores, quis fuerit scriptor, etiam accuratius student definire. Contendunt enim eum non diversum esse a Granio Flacco apud Macrobium Sat. I, 18, 4 (fr. V) una cum Varrone appellato, quem Paulus Dig. L, 16, 144 'de iure Papiriano' scripsisse tradit (fr. VI), Censorinus de die nat. III, 2 librum ad Caesarem de indigitamentis scriptum reliquisse testatur (fr. IV). Itaque hunc scriptorem, cui nomen fuerit Granius Flaccus Licinianus, aequalem fuisse Caesaris statuunt atque perpaulo post Sallustium (quem fol. IV r appellat) et ante Livium opus historicum conscripsisse, ex quo Pertz censet esse fragmenta nobis servata, quae quidem edd. Bonn. ascribunt epitomae Antoninorum temporibus factae et paucis epitomatoris additamentis auctae. Ceteras causas, quas Pertz protulit, ut Licinianum ante Livium scripsisse demonstraret, merito edd. Bonn. tam vanas esse iudicaverunt, ut longum putarent illas refutare. Granium Flaccum autem disiungendum non esse a Granio Liciniano ne hi quidem negaverunt. Sed alii viri docti suo iure hac de re cum illis dissentiunt.[2])

Primum enim ii, qui Granium Flaccum eundem esse statuunt quem Granium Licinianum, argumenta afferunt satis exilia. Dicunt enim Granium apud Festum s. v. ricae p. 277 M. (fr. XI) nomi-

---

[1]) Titulus huius operis teste Servio l. c., ubi libri numerum verisimile est excidisse (cf. ed. Bonn. p. 46 adn.), erat „cena", nisi verba 'cenae suae' putabimus esse corrupta.

[2]) Madvig, Comparetti (l. c.), G. Linker praeclara disputatione, quae est in Fleckeis. ann. phil. LXXVII (1858) p. 628 sqq. Hunc in universum ego in tempore scriptoris definiendo sequor. De Madvigii et Comparettii sententiis infra iudicabo. — At editorum de Granio Flacco Liciniano sententiam secuti sunt C. M. Francken in Fleckeis. ann. phil. Suppl. III (1860) p. 250 (qui cum Bonn. de epitome cogitat) et G. Kettner „Cornelius Labeo, ein Beitrag zur Quellenkritik des Arnobius" (Pfortae 1877) p. 10 adn.

natum[1]) non diversum esse a Granio Liciniano apud Macrob. Sat. I, 16, 30 (fr. I) laudato, cum in utroque loco de flaminica sermo sit: proinde quasi a duobus rerum antiquarum scriptoribus, inter quos nulla intercedat necessitudo, flaminica commemorari non potuerit: nam illis duobus locis agitur de rebus diversissimis. Praeterea Kettner inter Granii Liciniani apud Macrob. l. c. (fr. I) et Granii Flacci apud Paulum l. c. (fr. VI) fragmenta „necessitudinem quandam“ propterea statuit, quod ab utroque disseritur de antiquorum temporum moribus ab recentioribus diversis. Hanc causam futilem vanamque esse non est quod longius doceamus.[2])

Sed illa opinio, qua Granius Flaccus Licinianus comprobatur, non solum firmo fundamento caret, sed etiam gravissimis argumentis potest refutari.

An verisimile est Macrobium, quem in ratione citandi semper sibi constare notum est, eundem scriptorem diversis nominibus significasse? Quid? si fragmenta essent ex historia Caesaris temporibus scripta, nonne mirum esset, quod de hac prorsus nihil nobis traditum est, cum ceterorum huius temporis scriptorum ne de mediocribus quidem memoria desit? Postremo in ipsis fragmentis insunt nonnulla certa vestigia, quibus scriptorem multis annis post Caesaris aetatem vixisse satis certo potest demonstrari.

Nam ante Hadriani tempora Licinianum opus non conscripsisse elucet ex verbis (fol. Xr, ed. Bonn. p. 8 B 22 sqq.) ‘aedes nobilissima Olympii Iovis Atheniensis diu imperfecta permansit’. Etenim ut „vir quidam et doctrina et benevolentia insignis“ iam edd. Bonn. admonuit, ita scribi non poterat nisi templo

---

[1]) Hunc Granium esse Granium Flaccum, aequalem Caesaris, verisimile est propterea, quod Festus Verrio Flacco auctore usus vetustiores tantum scriptores appellat.

[2]) At Kettner et Francken probabile reddiderunt antiquarium illum, quem Arnobius Granium tantum appellat (fr. VIII—X), esse Granium Flaccum. De ‘Granio’ et ‘Liciniano’ a Solino allatis (fr. III et VII) vide infra.

ab Hadriano perfecto.[1] Quam argumentationem ut subterfugiant Bonnenses ab epitomatore haec verba inculcata esse statuunt.

Accedit illud iudicium de Sallustio factum (fol. IV r, ed. Bonn. p. 42): 'Sallusti opus nobis occurrit, sed nos ut instituimus moras et non urgentia omittemus. Nam Sallustium non ut historic(um) a[i]unt,[2] sed ut [o]ratorem legendum. Nam et temp[ora] reprehendit sua e[t de]licta carpit et cont[iones][3] in[s]erit[4] et dat in ce[nsum] loca, montes, flum[ina] et hoc genus amo[ena][5] et culta,[6] et conpa[rat] disserendo.' Quae verba, etiamsi neglegimus, quod edd. Bonn. uncis incluserunt 'nam Sallustium — legendum', non videntur a Sallustii aequali scripta esse, quae erat Pertzii et Bonn. (p. XV) sententia. Immo aequalem H. Brunn in Comparettii disputatione (Mus. Rhen. XIII) primus ostendit non dicturum fuisse 'tempora reprehendit sua' sed 'tempora reprehendit nostra'. Deinde Sallustii aequalis ipse rerum narrationi orationes inseruisset neque scriptorem historicum vituperasset, quod excursus intexeret geographicos (cf. Linker p. 635 sq.). Postremo verba 'nam Sallustium non ut historicum aiunt, sed ut oratorem legendum' non primo ante Christ. n. saeculo, sed ab eo tantum scribi potuisse,

---

[1]) Keil quidem (in Fleckeis. ann. phil. LXXVII p. 647) et Madvig p. 408 (in additamento ad primam quaestionem anno 1874 facto), qui legunt 'permanserat' (cod. 'permanse'), hanc vocem putant referendam esse ad Antiochi IV Epiphanis, de quo hoc fragmento agitur, tempora atque sic censent esse pergendum: „tum Antiochus, quod coeperat Pisistratus, studuit perficere". Sed iam antea dictum est 'Athenis Olympion—exstruere instituerat' (cf. textum cap. I. praemissum). Cur Granius eandem rem bis commemoraverit, non intellegitur.

[2]) 'historica (historici?) sunt' cod., 'historic[u(m) scrib]unt' Bonn., 'h. puto' Madvig, Keil, C. G. Schmidt (Phil. XIII p. 226), 'h. sentio' Linker, 'historic(um) a[i]unt' ten Brink (Phil. XII p. 590), quod litteris traditis simillimum est.

[3]) 'contiones' Linker et Madvig, 'convitia' Bonn.

[4]) 'ingerit' cod., 'inserit' Madvig et Francken.

[5]) 'amovenda' Pertz, 'alia' Bonn., 'amat' Francken, 'amoena' Keil.

[6]) 'cultae' cod., 'culpat' Mommsen, 'culta' Keil, 'culte conparat' omisso insequenti 'et' Jordan (Herm. VI p. 210).

„qui Frontonem oratoresque illos cognosset, qui ad Sallusti Crispi regulam verba sua exigere solebant", ipsi Bonn. (p. XVIII) iam intellexerunt atque ob id ipsum hoc enuntiatum ascripserunt epitomatori. Sed cum illud enuntiatum, quod est de Iovis templo confecto, nobis non praebuerit ansam defendendi, nunc gaudemus nos posse demonstrare, verba a Bonn. notata suum locum habere. Primum enim, quod infra contiones commemorantur et nostro loco Sallustius dicitur orator, artissime inter se cohaerent. Tum verba 'nam et tempora reprehendit sua' vix annecti possunt verbis 'moras et non urgentia omittemus', nisi enuntiatum, quo iudicium fiat de Sallustio, intericias vel 'ille' quidem voculam addas (cf. Keil p. 640). Itaque si necessarium est illa verba, quae epitomatoris esse contendebatur, ab Liciniano ipso scripta esse, concludendum nobis est hunc scripsisse Frontonis demum temporibus vel postea. Ei quoque, qui Granium Licinianum non diversum putaverit a Granio Flacco, hoc loco considerato persuasum erit rem ita se non habere. Nam hoc argumentum quomodo possit debilitari nescio, nisi forte quis totum de Sallustio iudicium epitomatoris esse censet.[1])

Iam in scriptoris tempore definiendo nobis quaerendum est, ante quem terminum necessario ille vixerit. Qua in re adiuvamur duobus locis Solinianis, quorum altero p. 37, 12 ed. Mommsen (fr. III) nomen Messapiae explicatur secundum Licinianum, altero p. 44, 18 (fr. VII) scriptor secundum Granium narrat de cicadis ad Rhegium mutis. Haec nomina coniuncta eundem antiquarium significare putaverim, quem iam apud Macrobium et Servium repperimus et ab hoc, de quo disputamus, Granio Liciniano historico non diversum duximus. Ac verisimillimum est verba illa allata non ab ipso Solino, qui sua sponte parcissima tantum addere solebat (cf. Mommsen Sol. p. XI.), inserta sed ex fonte

[1]) Ut hic edd. Bonn. ubicunque epitomatoris additamenta cognoverunt, decepti sunt. De eo loco, quo maxime sententia eorum nititur (fol. VIII r, ed. Bonn. p. 20 B) cap. II. accuratius disseram, cum hic locus extra narrationis contextum considerari non possit. Atque eam opinionem, Liciniani fragmenta non esse nisi epitomen, saepius occasione oblata reiciam.

transscripta esse, qui fons est „chorographia Pliniana“ quae a Mommseno appellatur, i. e. Plinii naturae historia ad chorographiae formam redacta et excerptis aliorum auctorum chorographorum et chronographorum aucta.[1]) Hac chorographia autem cum Apuleius (in Florid.) Marci Aurelii temporibus iam usus sit (cf. Mommsen l. c. p. XXII sqq.), fieri non potest, quin Licinianus fuerit ante Apuleium.

Itaque ex omnibus, quae de scriptoris tempore disseruimus, efficitur, ut ultima Hadriani aetate et Antonini Pii floruisse existimandus sit. Atque in iudicio illo de Sallustio facto verba 'nam S. non ut historicum aiunt' generaliter dicta optime intelleguntur, si Licinianum de aequalium studiis cogitasse putamus. Neque illa de Iovis templo ab Hadriano perfecto narratione iam offendimur, quam scriptorem aequalem novae rei admiratione affectum operi inseruisse tibi persuadeas. Quibus duabus rebus confirmatur non iniuria nos locis illis Solinianis ita, ut secundum Mommsenum (Sol. p. XXVIII) fecimus, in argumentatione nostra usos esse.

Frontonis tempore, quo industria scriptores formas et verba antiqua quaerebant priscosque imitabantur, Licinianum fuisse postremo eo probatur, quod apud hunc quoque talia reperiuntur,[2]) velut: auscultare (p. 16 B 10), quo libenter utuntur Plautus et Terentius (semel tantum Cic. pro Rosc. Amer. 36, 104).

Derepente (p. 20 A 18), quod a Catone usque ad Suetonium apud scriptores orationis solutae non occurrit; nam apud Cic. Lig. 5, 14, Liv. XXI, 41, 6, Tac. Hist. I, 63 non recte legitur, quibus locis optimi codices 'repente' praebent.

Ariobardianen (p. 34 A 19) pro Ariobarzanen. Priscian. I, 31 testatur haec: 'antiquissimi quoque Medientius dicebant

---

[1]) Illis quoque locis, quos attulimus, fundamentum narrationis est Plinii naturalis historia (III, 11, 99 et XI, 27, 95) aucta additamentis ex Liciniano petitis.

[2]) Genus sermonis peius esse quam quod Caesaris Ciceronisque aequali tribuatur, vix est quod admoneam. Madvig (p. 405) iam nonnulla annotavit, quae sine ulla dubitatione posterioris temporis insignia habenda sunt.

pro Mezentius' cf. Brambach „Die Neugestaltung der lat. Orthographie" (Lips. 1868) p. 282.[1])

Archelavo et Archelavus (p. 32 B 12 et 22) inserto digammate cf. Menolavus in C. I. L. I 1213, Menelavos II 2135, Oinomavos I 60, Archelavos VI 8730, Nicolavus X 3073, VI 22970, Menelavus Plaut. Bacch. 946 (in cod. B.).[2])

Iam breviter consideremus, quid censendum sit de ratione, qua Comparetti et Madvig scriptoris tempus determinare studuerunt. Ille quidem historicum sub Domitiano imperatore fuisse conicit, cum eum eundem esse statuat atque Licinianum quendam, quem Martialis I 49 et 61 laudat ut aequalem scriptorem praeclarissimum in patria urbe Bilbili florentem. Ab hoc autem Comparetti seiungere vult et Granium Flaccum et Granium Licinianum a Macrobio et Servio appellatum. Is Licinianus, quem nominat Martialis, saepe idem existimatur atque Valerius Licinianus, qui occurrit apud Plin. ep. 4, 11 (cf. Teuffel 326, 15). At nos putamus historico nomen fuisse Granio Liciniano. Sed etiamsi quis nomen gentile (et Valerii et Granii) ut incertum neglegat, tamen nomen Liciniani non tam rarum est, ut illos inter se non diversos esse necessarium vel verisimile sit. Accedit, quod supra intelleximus Licinianum posteriore, quam Comparetti putat, tempore floruisse. Quamquam si Comparettium sequimur, fieri potest, ut illud de Sallustio iudicium Domitiani quoque temporibus factum sit, cum Frontoniani non primi Sallustii operibus studerent, quod ut demonstret affert Senec. Contr. III, 3, Mart. XIV, 191, Quint. inst. X, 1. Sed id ipsum, quod Sallustius dicitur orator, mea quidem sententia nos deducit ad oratorem Frontonem.[3]) Praeterea

---

[1]) Sane multo posteriores quoque latini scriptores ut Script. hist. Aug. interdum „di" scripserunt pro „z" (fortasse inde a Frontonis tempore?) cf. Schneider, Lat. Gramm. I p. 385 et Corssen, Aussprache u. Vocalism. I^2 p. 216.

[2]) De formis Ariobardianen et Archelavus Teuffel iam monuerat.

[3]) Cf. epist. ad M. Caesarem IV, 3 p. 62 ed. Naber: 'Oratorum post homines natos unus omnium M. Porcius eiusque frequens sectator C. Sallustius'.

Comparetti locum illum neglexit, quo Iovis templi ab Hadriano confecti fit mentio.

Madvig denique Licinianum tertio vel etiam quarto p. Chr. n. saeculo fuisse iudicat. Ex locis Solinianis quos initio omiserat, postea (p. 407 adn.) non idem conclusit atque Mommsen, quem nos supra secuti sumus, sed censet potius Solinum ipsum Licinianum inspexisse, non ex suo fonte illa verba transscripsisse. Haec de Liciniani aetate sententia cohaeret cum alia eiusdem viri docti opinione, qua Licinianum arbitratur epitomen tantum in usum scholarum ex Livii historiis fecisse et ex suo nonnulla tantum addidisse, quae ad antiquitates pertinerent. Hanc opinionem a vero longe abesse demonstraturum me spero.

Nos igitur in eo perseveramus, ut Granium Licinianum censeamus medio altero p. Chr. n. saeculo ponendum esse. Praeterea de ipso scriptore nihil nobis est notum. [2])

Quoniam Liciniani tempus satis accurate determinavimus, reliquum est, ut de eius opere pauca praemittamus. Fragmenta nobis servata, ut ex foliorum inscriptionibus intellegitur, sunt ex libris XXVI, XXVIII, XXXV, XXXVI. Quo de tempore libri XXVI fragmentum (fol. XI) sit, dici non potest; libro XXVIII res anno 591 (163), libro XXXVI anno 676 (78) gestae erant expositae. Itaque qui intercedebant libri fere decem annorum spatium videntur amplexi esse. Si tota materies pari modo in reliquos libros dispertita fuisset, opus initium cepisset a regibus expulsis; sed huius rei exemplum apud rerum Romanarum scriptorum invenimus nullum. Praeterea vel per se verisimile est prioris temporis facta non tam copiose descripta fuisse quam posterioris. Itaque Pertzium rectum vidisse arbitrabimur, qui rerum narrationem ab urbe condita censet coepisse. Quod ad finem operis attinet, editores cum scriptorem non multo post Sallustii historias publici iuris factas vixisse censeant, eum putant narrationem usque ad Caesaris mortem deduxisse. Sed cum illud falsum viderimus, de fine operis omnino non possumus coniecturam facere. Nescimus, utrum Licinianus res Romanas usque ad

---

[1]) Coniecturam de patria eius invenis cap. I, 3.

Caesaris mortem vel ad pugnam Actiacam vel ad a. 727 (27), quem annum multi putabant principatus esse initium, narraverit an in rebus describendis ad ipsum principatum descenderit. Quo fit, ut ne de librorum quidem numero, quem Pertz voluit esse XL, quidquam possit dici.[1])

De consilio et ratione operis ipse scriptor profitetur illo loco, quo de Sallustio facit iudicium, ubi dicit neglecturum se esse 'moras et non urgentia'. Morum igitur praecepta, orationes, excursus geographicos non, ut Sallustius fecerat, rerum descriptioni vult inserere, sed hoc tantum sibi proposuit, ut meras res historicas enarret. Alio quoque loco (fol. IX u, ed. Bonn. p. 10 A 20 sqq.) nonnullis prodigiis narratis haec addit: 'multa .... [om]itt[e]nd[a in h]is [h]i[s]t[o]r[i]i[s] ex[is]timav[i] nec opplendae sunt huius modi cognitionibus chartula[e] — sed[ges]ta ... [a maio]ribu[s] tantumdem opus fuit nos r[e]co[g]noscere[2]) quantum memoriae tradere .....'.[3]) Utroque loco etiam hoc observatione est dignum scriptorem videri suo arbitrio eligere ea, quae posteris tradenda putet, neque in hac re pendere ex altero. Dubitabit igitur iam haec verba qui attente legerit credere ab Liciniano excerptum esse unius scriptoris opus. Eodem pertinent etiam plures loci: 'de ordinibus — militum iam in superioribus libris dixi (p. 4 A 22 sqq.), cuius paulo antea memini consulatus (p. 8 B 3 sqq.), de P. Lentulo non fuit omittendum (p. 14 A init.), ut mox ordine indicabo' (p. 32 B 17 sq.); duobus locis testatur scriptor se compluribus ex fontibus hausisse: 'equites vero plurimi auctores omittebant' (p. 4 A 19 sq.) et 'quidam memorant' (p. 38 A 6 sq). Licet cogitari eum mendaciter haec additamenta fecisse, ut qui legebant crederent semper se liberum suum arbitrium servasse. Sed benevola fortuna fragmentum illud, quod summi momenti est, de rebus a. 676 (78) gestis nobis servavit, quo Licinianus unum saltem fontem nominatim affert: 'Sallusti opus nobis occurrit etc.'

---

[1]) Teuffel igitur, cum scriptorem in Antoninorum tempore poneret, Pertzii de opere coniecturas probare non debebat.

[2]) 'nostro corde noscere' Bonn., corr. Francken p. 239.

[3]) Fortasse est supplendum '[ut]i[l]e [v]i[d]e[tu]r'.

Madvig quidem ex his verbis non conclusit Licinianum inde (i. e. a Sulla mortuo) Sallustii historiis usum esse, sed hunc locum ita explicavit, ut putaret Licinianum uni Livio addictum, cum ad annum 676 (78) pervenisset, commemoravisse Sallustium, quod consentaneum esset legentes exspectare Granium eo loco recurrere ad alterum rerum scriptorem in scholis celebratum; at cum adderet Sallustium alio atque se consilio res Romanas scripsisse, Licinianum negare se ex illo esse hausturum. Sed hanc interpretationem Madvig suo tantum arbitrio fecisse mihi videtur. Cum enim scriptor dicit 'Sallusti opus nobis occurrit, sed nos ut instituimus moras et non urgentia omittemus', Sallustium non totum reicit, sed significat tantum se eo „cum grano salis", ut aiunt, uti velle moris eius praetermissis.[1]) Et profecto Maurenbrecher l. c. demonstravit in eo capite, quod est de rebus anno 676 (78) gestis, complura inesse, quae cum Sall. frr. et Julio Exuperantio congruant atque luculenter ostendant Licinianum pendere ex Sallustio.

Refutata igitur est sententia eorum, qui Licinianum unum rerum scriptoris opus excerpsisse existimant. Quos praeter Sallustium habuerit fontes quoque modo eis usus sit, in sequentibus capitibus accuratius ostendere mihi proposui. Duae tamen res praemittendae sunt, quae pertinent ad proprietatem operis in universum cognoscendam.

Ac primum quidem saepissime apud Licinianum occurrunt prodigia, quorum in fontibus exhauriendis videtur fuisse studiosissimus (cf. ed. Bonn. p. 10, 22 et inprimis p. 20). Fieri potest, ut hac in re cognoscenda nobis sit vis Stoicae doctrinae, cuius potentia tum maxima erat.

Deinde scriptor saepius atque copiosius narrationi inserit antiquitates. Cuius proprietatis insigne exemplum habemus fol. XI u (ed. Bonn. p. 4). Dextrae columnae initio Licinianus loquitur de more a Tarquinio instituto, secundum quem equites priores binos equos in pugnam ducebant; sub fragmenti finem nomen flexuntium explicat; qui intercedunt versibus videtur quaesivisse, utrum ille

[1]) Sic iam Linker p. 637 recte interpretatus est.

mos Romanorum fuerit proprius an translatus a Graecis.[1]) Hoc fragmentum propterea quoque magnam vim habet, quod ex plurimis verbis Graecis hic occurrentibus pro certo possumus concludere Licinianum Graecae linguae fuisse peritissimum. Antiquitatum eius studium etiam aliis locis elucet: 'quoniam pomerium finis esset urbanorum auspiciorum etc. (p. 10 B 18 sqq.), placuit et quod nunquam alias — quid in libris fatalibus esset palam recitare (p. 22 A 2 sqq. cf. cap. III), Nicomedes Euergetes, qui est ita dictus, quod beatos egentes faciebat multosque beneficiis suis alliciebat' (p. 36 A 4 sqq.): ea quoque, quae de Antiochi Epiphanis aedificationibus traduntur, eodem referenda sunt (cf. cap. I, 1). Hoc idem nos impulit, ut historicum Granium Licinianum eundem duceremus atque scriptorem rerum antiquarum.

Iam ad rem ipsam transeamus: Primo capite eas quaestiones complectar, quae ad res Asiaticas pertinent. Qua in re opus esse existimo verba eius fragmenti valde mutilati, quod est de Antiocho IV Epiphane (fol. X r), quantum fieri potuit correcta et suppleta praeponere, cum Bonnenses eius menda parum sustulerint.[2]) Altero capite fragmenta, quae sunt de bello Cimbrico, tertio quae sunt de bello civili Mariano, quarto quae sunt de bello Mithradatico in examen vocabuntur. Ad extremum nonnulla fragmenta minora in medium proferam.

---

[1]) Sic conicit Heerwagen „de Grani Lic. fragmento ann. lib. XXVI“ (Thierschio gratul. gymn. Norimberg. 1858), qui summa cum doctrina hoc fragmentum emendavit atque supplevit. Alias emendationes proposuerunt B. ten Brink (Phil. XII p. 590 et Phil. XXI p. 165) et Rob. Unger in epist. cum edd. Bonn. communicata (p. XVII); quae emendationes omnes hoc folio misere depravato dubitationi sunt obnoxiae easque accurate examinare et longum est neque ad nostram quaestionem necessarium. Cum autem libro XXVI res annis c. 571 —581 gestas exspectemus narrari, Hirschfeld egregie coniecit scriptorem in hoc libro exposuisse de Catonis oratione, qua suasit in senatu 'ut plura aera equestria fierent' — neque enim est veridissimile hanc orationem a Catone, cum censor esset (a. 571), habitam esse — eaque re esse adductum, ut hunc de Tarquinio excursum insereret.

[2]) Mihi est in animo posthac novam editionem parare, quae versabitur in emendando verborum contextu, quamquam codicem denuo conferre non licet; nam vir doctissimus mecum communicavit subsidiis chemicis, quae C. Pertz adhibuit, codicem adeo esse afflictum, ut hodie omnino nihil fere possit legi.

CAPUT I.
De rebus Asiaticis.

I.

(fol. X r, ed. Bonn. p. 8.)

A. '. . . . mortuo fra[tre r]egnavit; idem agi[tav]erat bellum post[ea indi]cere Romanis, sed [prohi]bitus dicitur [Persei reg]is[a)] sorte. Perpauc[is bo]ni[s] magna misce[bat viti]a, incertae na[turae] levitatisque su[mmae: ep]ulis comisa[ns interv]enire, ad sympho[nia]m nudus saltare, [ba]lne[i]s[b)] public[is] u[ti plebe b]alneas [frequ]e[ntante][b)], perfusus ungue[ntis; et] asturcone pom[pam r]e[g]ebat[c)] et [s]e sim[ulab]at Hierapoli D[e]a[m[d)] duc]ere uxorem et c[um ut ad][e)] epula[s aurea] e[t a]r[g]e[ntea vasa e] sacro protulis[sent] ca[en]atus [d]e m[e]nsis [ea abs]tulit [in] dotem B. ex[tra anul]um[e)] quem [un]um omnium deae [e][f)] donis reliquit. Gracch[o] iter[um cos.][g)], cuius paulo a[n]te[a] memini consul[a]tu[s][g)], vi[su int]erit[h)] nocturno. Corpus eius cum Antiochia(m) portaretur, exterritis subito iu[m]entis in fluvium abreptum non com[pa]ruit. Has ille [p]oe[u]a[s] i[nf]an[d]i sacri[l]eg[i][i)] i[n]cen[s]is ex[p]endit diis[k)]. Colossos duo[s][l)] denum cubitorum ex Med[i]a[m)] . . . . unum Olympio, alteru(m) Capitolino Iovi de[di]ca[ve]r[a]t[n)]. Athenis Olympio(n) e[xtr]u[e]re [e] lapide ma[r]m]o[r]e ius[tit]uerat[n)]: [i]am[o)] columnas aliquot [dipt]ero[p)] circumdederat. (A)edes nobilissima Olympi(i) Iovis Atheniensis diu inperfecta permans[it].'

---

a) 'Persei regis' suppl. K. (= Keil in Fleckeis. ann. phil. LXXVII p. 644). b) 'balneis — frequentante' rest. K. c) 'regebat' Bernays, 'ducebat' Bonn. d) 'diana' cod., 'deam' coni. Hirschfeld. e) 'cum ut — vasa sacra — anulum' K., 'e sacro' Froehner (Phil. XV p. 619), 'cum ea ad epulas — protulisse se causatus etc.' proponit Mommsen. f) 'deae donis' cod., 'e' supplevi, 'donorum' Bonn. g) 'cos.' et 'consulatus' fortasse emendandum est (cf. infra). h) 'visu interit' conieci, 'terrore perit' K. i) 'poenas infandi sacrilegi' K. k) 'iscentis extendit dus' cod., 'incensis expendit diis' correxi, 'deis laesis expendit' K., qui cum Pertzio et Bonn. 'dus' in 'du[o]s' correctum ad ea, quae sequuntur, referebat. l) 'duodenum' cod., 'duo[s] denum' ego. m) 'ex Media' corr. Francken (l. c. p. 254); lacunam ego notavi. n) 'dedicaverat — instituerat' Bursian (in Fleckeisen ann. LXXVII p. 650). o) 'nam' cod., quod sensum non praebet, 'iam' correxi. p) 'numero' cod., 'diptero' K.

In hoc fragmento libri XXVIII, de quo primum nobis est agendum, facile cognosces sermonem esse de Antiocho IV Epiphane, cuius regnandi initium et consilium cum Romanis belli gerendi postea abiectum primo discimus enuntiato; cuius in fine desunt quaedam verba, quae Meineke („Archäol. Zeitung" 1857 n. 106. 107 p. 103) fuisse censet 'Oso[goae Iov]is sorte', ita ut si recte supplerentur, Ζεὺς Ὀσογώς vel Ὀσογῶα, deus Caricus, diceretur.[1]) Sed quamvis similia sint haec verba vestigiis litterarum, tamen non obliviscendum est in texta Pertzii minores i. e. incertas hoc loco litteras exstare. Multo magis probo supplementum a Keilio propositum: '[Macedo]nis' vel '[Persei reg]is sorte'. Nam quamquam Antiochus traditur belli inter Romanos et Perseum gesti particeps non fuisse, sed hac occasione usus esse Coeles Syriae et Palaestinae recuperandae,[2]) tamen non incredibile est eum in animo habuisse, si Perseus victurus esset, 'postea' una cum eo Romanos bello persequi — sic enim verba Liciniani interpretanda esse puto — praesertim cum eum etiam posterioribus temporibus clam cum Eumene contra Romanos consilia communicasse Polybius (XXXI, 5 et 6) et Livius (per. 46) sint testes.

Sequitur Antiochi regis morum descriptio brevis illa quidem et qua extraneae tantum res de eo afferantur. Longius atque accuratius illius mores describunt Polybius in fragmentis libr. XXVI et XXXI apud Athenaeum V p. 193 sq. et X p. 439 servatis et Diodorus XXIX, 32 et XXXI, 16 (ed. Dindorf), qui sine dubio illum secutus est.[3]) Ac Polybius quidem cum multa alia tum res a Granio traditas affert:

Lic.	Polyb. XXVI, 1 (ed. Hultsch)
1) epulis comisans intervenire.	4. ὅτε δὲ τῶν νεωτέρων αἴσθοιτό τινας συνευωχουμένους, οὐδεμίαν ἔμφασιν ποιήσας παρῆν ἐπικωμάζων μετὰ κερατίου καὶ συμφωνίας, quocum nonnunquam ad verbum consentit Diod. XXIX, 32.

---

[1]) Preller-Robert „Griech. Mythologie" I⁴ (1894) p. 580 adn. 2.

[2]) Flathe „Gesch. Macedoniens u. der Reiche, die von maced.

3) et balneis publicis uti plebe balneas frequentante, perfusus unguentis.	12. ἐλούετο δὲ κἀν τοῖς δημοσίοις βαλανείοις, ὅτε δημοτῶν ἦν τὰ βαλανεῖα πεπληρωμένα, κεραμίων εἰσφερομένων αὐτῷ μύρων τῶν πολυτελεστάτων.

Neque vero obicias hoc loco parum vel nihil probari, cum verba Liciniani secundum Polybium a Keilio demum sint restituta: nam cum omnes litterae a Keilio suppletae optime quadrant ad vestigia relicta tum de balneis ut apud Polybium bis commemoratis dubitandum non est. Praeterea conferas haec:

Lic.	Polyb. XXXI, 4.
2) ad symphoniam nudus saltare.	7. καὶ τῆς συμφωνίας προκαλουμένης ἀναπηδήσας ὠρχεῖτο καὶ ὑπεκρίνετο μετὰ τῶν γελωτοποιῶν.

Hoc loco adeundus est Diodorus XXXI, 16, 2, apud quem verba Polybiana integriora atque pleniora servata sunt, ut in his: τῆς συμφωνίας προκαλουμένης ἀνεπήδα γυμνός, καὶ τοῖς μίμοις προσπαίζων ὠρχεῖτο κτλ.

Tantum igitur cernere licet Granii et Polybii consensum, ut maior cogitari vix possit, atque verba Liciniani originem profiteri Polybianam nemo iam infitietur. Etiam Livius XLI, 20, quem constat ipsum per quartam et quintam decadem, inprimis ubi res Asiaticae et Graecae narrantur, accuratissime vestigia premere Polybii, Antiochi morum descriptionem habet magna ex parte illam quidem iniqua fortuna deperditam. Tamen cum Granii verbis ‘incertae naturae levitatisque summae’ comparari possunt Livii ‘adeoque nulli fortunae adhaerebat animus, per omnia genera vitae errans, uti nec sibi nec aliis quinam homo esset satis constaret’. Ac si quis putet Licinianum ex Livio hausisse, ut Lici-

---

Königen beherrscht wurden“ (Lips. 1834) II. p. 580 sqq. — Wilcken in Pauly, Realenc. I, 2^2 p. 2471 sq.

[3]) Nissen „Krit. Untersuchungen über die Quellen der IV. u. V. Dekade des Livius“ (Berol. 1863) p. 110 sqq.

niani cum Polybio consensus a Livio repetendus sit, hic locus non praebet ansam huius opinionis redarguendae.[1])

Sed consideremus verba 'asturcone pompam regebat'. In fonte Liciniani sermo fuisse videtur de splendidissima illa pompa, quam Antiochus in oppido Daphne duxit imitatus Aemilium Paulum, qui victoriam in Macedonia partam celebravit.[2]) Quae pompa accurate describitur a Polybio XXXI, 3. 4 et secundum eum a Diodoro XXXI, 16. Inprimis inspicias: Polyb. 4, 4: ὁ δὲ χειρισμὸς ἐγίνετο τῶν πραγμάτων δι' αὐτοῦ τοῦ βασιλέως. ἵππον γὰρ ἔχων εὐτελῆ παρέτρεχε παρὰ τὴν πομπήν, τοὺς μὲν προάγειν κελεύων τοὺς δ' ἐπέχειν. Diod. 16, 2. ὁ δὲ δι' αὐτοῦ χειρισμὸς πολλῆς εὐτελείας καὶ καταφρονήσεως ἦν οἰκεῖος. παρέτρεχε γὰρ παρὰ τὴν πομπὴν ἱππάριον ἔχων εὐτελές κτλ. Qua in re miramur Granium commemorare asturconem, Polybium et Diodorum ἵππον (vel etiam ἱππάριον) εὐτελῆ, neque dubium est, quin hoc sit rectum, cum exspectemus aliquid ridiculum de Antiocho afferri, quod in 'asturcone', pulchre et eleganter femora movente atque ob id magno in pretio habito[3]) non inest. Quam differentiam satis miram sic expediendam esse puto, ut coniciamus in exemplo, quo utebatur Granius, falso pro εὐτελὴς ἵππος scriptum fuisse εὐσκελής. Quo modo alio verbum 'asturco' enodari possit, non video. Tum autem pro certo habemus illam cum Polybio similitudinem, quam in describendis Antiochi moribus invenimus, non Livio intercedente ortam esse, quod Madvig (p. 394) iudicavit. Atque Livium in hoc fragmento non adhibitum esse infra aliis argumentis confirmatum videbimus.

Deinde exponitur de direpto templo Hierapolitano. Seleucidas saepe ad replendos vacuos suos thesauros opulentis fanis

---

[1]) Quod Ptolemaeus II Euergetes (apud Athen. X p. 438 e) de Antiochi vinolentia ab Aeliano quoque (Var. hist. II, 41) commemorata, de pecunia ab illo lacerata etc. affert, hic potest neglegi, sed ibi quoque legimus: ἐλούετο δὲ καὶ εἰς τοὺς κοινοὺς λουτρῶνας μύροις ἀλειφόμενος.

[2]) Hoffmann „Antiochus IV Epiphanes" (Diss. Lips. 1873) p. 72 sq.

[3]) Ad. Schlieben „Die Pferde des Altertums" (Lips. 1867) p. 106 et Schneider ad Veget. II, 28, 38.

Asiaticis usos esse pernotum est, sed de populato templo Hierapolitano alibi nihil traditur. At Polyb. XXXI, 11, I. Macc. 6, 1 sqq., Joseph. Antiqu. XII, 9, 1[1]) narrant Antiochum paulo ante mortem templum Dianae in Elymaide, provincia Persica, situm diripere ab incolis impeditum esse;[2]) si App. Syr. 66 credimus, consilium etiam perfecit.[3]) Plurimique scriptores cum hac re mortem regis connectunt. Tradit enim Polybius l. c.: ἀναχωρῶν ἐν Τάβαις τῆς Περσίδος ἐξέλιπε τὸν βίον δαιμονήσας, ὥς ἔνιοί φασι, διὰ τὸ γενέσθαι τινὰς ἐπισημασίας τοῦ δαιμονίου κατὰ τὴν περὶ τὸ προειρημένον ἱερὸν παρανομίαν. Contra haec dicit Josephus ut Judaeus scriptor Antiochum templo Hierosolymis expilato conscientia sceleris cruciatum esse similiterque I. Macc., quo ex libro Josephus plurima hausit. Aliter de exitu regis traditur duobus locis II. Macc., quorum primo (secundum Hieronymi versionem) 1, 13 sqq. sic legimus: 'Nam cum in Perside esset dux ipse et cum ipso immensus exercitus, cecidit in templo Naneae consilio deceptus sacerdotum Naneae. Etenim cum ea habitaturus venit ad locum Antiochus et amici eius, et ut acciperet pecunias multas dotis nomine; cumque proposuissent eas sacerdotes Naneae, et ipse cum paucis ingressus esset intra ambitum fani, clauserunt templum, cum intrasset Antiochus . . . . . mittentes lapides percusserunt ducem'. Quibus in verbis facile cognoscimus iocosam narrationem Granii, qui docet regem res divinas in ludibrium vertisse, cum diceret velle se deam in matrimonium ducere. Secundum alterum locum II. Macc. (9, 9) denique Antiochus phthiriasi consumitur. Hanc famam non est quod examinemus. Nam ut non dicam, talem morbum unquam fuisse medicos negare, facile intelligitur,

---

[1]) Idem invenitur apud Sulp. Sev. chron. II, 22; Hieron. ad Daniel. 11; Georg. Sync. p. 533.

[2]) Falso adnotat Pertz p. 46 adn. 2: „secundum Polybium rex templum Dianae in Elymaide spoliaverat“.

[3]) Templum Naneae dicitur II. Macc. 1, 11, 'Αρτέμιδος apud Polyb., 'Αφροδίτης apud App., quae omnes eandem deam Babylonicam *Ναναίαν* significant (cf. Ed. Meyer in Roscheri Lex. Myth. p. 646); num eadem sit quae Anaïtis, Diana Persica, quod Hoffmann (p. 78 adn.) aliique statuerunt, dubium est (cf. Ed. Meyer l. c. p. 333 med.).

unde illa fama orta sit: Judaeos enim ei, qui semper religioni eorum inimicissimum se gesserat, mortem quam atrocissimam et foedissimam excogitasse apparet. Ac ne iis quidem, quae priore loco accepimus, multum tribuendum esse videtur, cum II. Macc. fides historica non ita magna sit.[1])

Sed Polybius, Josephus, I. Macc. num recte consenserint Antiochum paulo post vanum illum impetum in templum Elymaicum factum de vita decessisse, non plane certum est. Quamquam enim Hoffmann (p. 77) illorum testimonio credidit, tamen iam Gutschmidio („Geschichte Irans", Tubing. 1888, p. 41) inde suspicio exorta est, quod exitus Antiochi Epiphanis secundum illos scriptores etiam in minutissimis rebus par est patris Antiochi III.

Ab his scriptoribus inter se concinentibus Licinianus dissentit, qui verbis 'has ille poenas infandi sacrilegi incensis expendit diis' causam mortis Antiochi petit ab templo Hierapolitano spoliato. Sed ex hac una discrepantia concludendum esse Licinianum non pendere ex memoria Polybiana,[2]) mihi quidem non persuasum est. Immo vero cum in superioribus sententiis Granius Polybii verba artissime premat, putaverim eum sacrilegium Hierapolitanum, quod apud Polybium quoque antea memoratum fuisse facile credas, ne salsam narrationem omitteret, in opus suum recepisse atque ipsum mortem Antiochi cum eo coniunxisse. Quamobrem etiam comprobo, quod Keil secundum Polybium l. c. restituit col. B 5 '[terrore p]erit nocturno', nisi malis 'vi[su int]erit nocturno'.[3])

Iam quaerendum est, num omnia illa, quae de morte Antiochi narrantur, vera sint iudicanda necne. Primum unusquisque concedet Granio, si verisimile est eum redire ad Polybium, magnam fidem esse habendam. Atque quod Antiochus aliquando Hierapoli

---

[1]) Hoffmann l. c. p. 4 sqq.

[2]) Sic iudicat Wijnne, Phil. XV (1860) p. 361.

[3]) Francken p. 254 proposuit 'in itinere perit nocturno' atque explicavit: fortasse Antiochum, cum in morbum incidisset, iter adeo accelerasse, ut ne noctem quidem intermitteret, quo celerius Antiochiam perveniret — id quod mihi quidem non verisimile est.

tam dementer se gessisse traditur,[1]) optime convenit ad cetera regis facta, praesertim cum etiam in II. Macc. de tali matrimonio sermo sit. Quod autem Hierapoli cultus 'Dianae', quam deam codex praebet (A 17), notus non est, Hirschfeldium elegantissime coniecisse arbitror pro DIANA legendum esse DEAM atque interpretandam deam Atargatim vel Derceto, ab Romanis simpliciter deam Syriam appellatam, cuius cultus, ut Plin. hist. nat. V, 32, 19, Strabo XVI, 1, 27, Plut. Crass. 17, inprimis Lucianus in libello qui inscribitur de dea Syria testantur, maxime florebat Hierapoli.[2]) Ac simpliciter illam eo loco, ubi praecipue colebatur, una commemorato appellari posse Deam, docet etiam Plut. l. c., ubi tantummodo nominatur: ἡ ἐν Ἱεραπόλει θεός.

Mortem Antiochi Granius collocat in altero Gracchi consulatu[3]) id est anno 591 (163). — Undecim annos regnavisse Antiochum testantur Porphyr. ap. Euseb. chron ed. Schoene I p. 253 et 263, Hieron. ad Daniel. 11, 21 sq., Sulp. Sev. chron. II, 22, cum App. Syr. 66 minus duodecim annos ei attribuat. Initium regni Por-

---

[1]) Similem narrationem apud Senecam Suas. I, 6 traditam affert Keil: Athenienses Antonio Athenam uxorem obtulisse et postea ab eo coactos esse magnam dotem dare.

[2]) Preller „Röm. Mythologie" II³ (1883) p. 396 sq.

[3]) Madvig p. 394 'Gracchi iter' quod cod. *B* 2 praebet, de legatione, quam Gracchus a. 590 (164) in Asia gessit (Polyb. XXXI, 5, 9), interpretatur neque vero verba, quae sequuntur, restituit: hac emendandi ratione locus corruptus prorsus sanari non potest. — Edd. Bonn. legunt: 'Gracch[o] iter[um] <de cuius paulo a[n]te[a] memini> consule tur[gore p]erit nocturno'. Verba 'de cuius—memini' librario (de epitomatore hoc loco ipsi non loquuntur!), qui addere volebat 'consulatu', adscribunt. Sed glossema hic statuere nimiae temeritatis esse mihi videtur. — Keil denique sic censet esse scribendum: 'Gracch[o] iter[um], de cuius — memini consul[a]tu, etc.', sed valde dubito, num 'Graccho iterum' omissa voce 'consule' recte dici possit; nam exemplis a Keilio allatis (Hor. Ep. I, 5, 4 et Jul. Capit. Pert. 4) nihil demonstratur: quod poetae licet, non licet scriptori historiarum atque verba Capitolini in codicibus corrupta sunt. Quamobrem putaverim litteras 'de' a Pertzio falso extricatas esse atque emendandum, quod in textum recepi, quamquam etiam hoc incertum esse concedo.

phyrius ponit in Ol. 151, 3, unde nanciscimur Ol. 151, 2 vel annum a. Chr. n. 175/4: nam ille, cum totos tantum annos numeret, eum annum, quo alius regnare coepit, plenum dare solebat priori regi (cf. „Schürer, Gesch. des jüdischen Volkes“, Lips. 1890, I p. 128). Quocum concinit, quod primi Antiochi nummi sunt ex anno 138 aer. Sel. vel a. Chr. 175/4 (cf. Babelon „les rois de Syrie, d'Arménie et de Commagène“, Paris 1890, p. CIX).[1]) Regis mors secundum Porphyrium l. c. incidit in Ol. 154, 1 vel a. 164/3 atque secundum I. Macc. 6, 16 in a. 149 aer. Sel. vel a. 164/3, qua in re observandum est aerae Sel. in Macc. I libro initium esse ver anni 312 (cf. Schürer p. 26 sqq.). Quodsi his adiungimus, quae tradit Granius — atque non est cur, quin recta sint, dubitemus — accuratius tempus mortis Antiochi assequi possumus ver anni 591 (163). Falsum igitur est, quod etiam in recentioribus libris historicis paene omnibus legimus regem mortuum esse a. 590 (164).

Quod autem Licinianus narrat corpus regis mortui in flumen abreptum esse, quam famam alibi nusquam invenimus, hoc non ita magna fide dignum videtur; multo vel per se credibilius est regem sepultum esse, ut II. Macc. 9, 29 traditur. Accedit quod, si quid veri in Granii narratiuncula inesset, scriptores Judaei certo ea essent usi, ut demonstrarent deum suum offensum ulcisci sacrilegos vel mortuos. Sed quamvis abhorreat illa fabula a veritate, non est concludendum eam apud Polybium defuisse.

Postremo Licinianus exponit de donis et ornamentis templorum ab Antiocho Epiphane oblatis. ‘Colossos duos denum cubitorum ex Media . . . . . unum Olympio, alterum Capitolino Iovi dedicaverat.’

De templo Iovis Capitolini Livius XLI, 20, 9 qui, quod ad monumenta ab Antiocho exstructa attinet, integer nobis servatus est, tradit haec: ‘Antiochiae Iovis Capitolini magnificum templum, non laqueatum auro tantum, sed parietibus totis lammina inauratum et alia multa in aliis locis pollicitus . . . . . non perfecit.’ Sed

---

[1]) Falso I. Macc. 1, 10 initium regni iam in a. 137 aer. Sel. vel 176/5 statuit cf. Schürer l. c. p. 129.

maxime animadvertendum est eum tacere de statua a Granio commemorata, eundemque quod ipsum quoque magni momenti est, Iovis Olympii colossum, de quo in excursu I pluribus disputabimus, prorsus silentio praeterisse.[1])

Unde luculenter apparet Granii historiam non esse excerptam ex solis Livii libris. Maxime autem cavendum est, ne ex Livii silentio colligamus etiam Polybium nullam statuarum mentionem fecisse, atque excerptum ipsum Polybianum, quod ad nos pervenit, non integrum esse facile intelleges, si id comparaveris cum Livio uberiora exhibente. Quamobrem non cogimur statuere Licinianum a Polybio fonte discessisse.

Neque aliter fortasse iudicandum est de verbis, quae sequuntur, ubi agitur de Iovis Olympii templo Atheniensi. Quod iam a Pisistrato inceptum, perfectum demum esse ab Hadriano inter omnes constat.[2])

Antiochum Epiphanem huic templo aedificando favisse breviter commemorat Polyb. XXVI, 1, 10 et 11: ἐν δὲ ταῖς πρὸς τὰς πόλεις θυσίαις καὶ ταῖς πρὸς τοὺς θεοὺς τιμαῖς πάντας ὑπερέβαλλε τοὺς βεβασιλευκότας · τοῦτο δ' ἄν τις τεκμήραιτο ἔκ τε τοῦ παρ' Ἀθηναίους Ὀλυμπιείου καὶ τῶν περὶ τὸν ἐν Δήλῳ βωμὸν ἀνδριάντων — et eum secutus Liv. XLI, 20, 8: 'magnificentiae vero in deos vel Iovis Olympii templum Athenis, unum in terris inchoatum pro magnitudine dei, potest testis esse; sed et Delon aris insignibus statuarumque copia exornavit'. Ex Liciniano igitur plus discimus.[3]) Verba eius 'iam columnas aliquot diptero circumdederat' lucem accipiunt ex Vitruvio VII praef. 15, qui iam Antiocho IV rege sumptu eius Cossutium civem Romanum duplicem porticum exstruxisse testis

---

[1]) Sane mirum in modum Babelon (l. c. p. XCV supra) locum Livianum, qui est de templo Iovis Capitolini, referendum putat ad Iovem Olympium Nicephorum in oppido Daphne cultum, Iovem igitur Capitolinum et Olympium censet eundem esse! — De templo Iovis Capitolini cf. C. O. Müller „Antiquitates Antiochenae" (Gott. 1839) p. 55 sq.

[2]) Gregorovius „Der Kaiser Hadrian" (Stuttg. 1884) p. 478 sqq.

[3]) Ac tamen Madvig p. 401 adn. hic quoque iudicat Licinianum pendere ex Livio.

est. Sed si quis in eo perseverare velit hoc quidem loco verba Polybiana in fragmento integra nobis servata esse, ut ex Livio ad verbum cum Polybio congruente appareat, non ita fortiter repugnaverim atque statuerim, quae Licinianus inde ab morte Antiochi narravit, aliunde ac quae praecedunt petita esse. Nam scriptorem saepius duos fontes iuxta adhibuisse etiam in sequentibus capitibus cognoscemus. Ex forma autem 'Olympion', quae alibi apud scriptores Latinos non occurrit,[1]) coniciendum est etiam alterum fontem, ex quo Licinianus de ornamentis Antiochi nonnulla addidit, fuisse Graecum.

Priusquam huius quaestionis finem faciamus, liceat iudicium afferre de toto fragmento, de quo adhuc disseruimus. Desideramus paene omnes res graviores, quae Antiocho IV rege factae sunt; desideramus bella cum Judaeis et Aegyptiis gesta, Graecum deorum cultum a rege institutum, satrapias orientales amissas multasque alias res. Ac tamen concedendum est non solum fabellas, sed etiam, inprimis sub finem, nonnulla fide digna narrari. Certissime autem demonstrasse mihi videor hoc fragmentum historiae Granianae non esse excerptum ex libris Livianis, atque etiam hoc satis me probavisse spero maiorem narrationis partem prae se ferre colorem Polybianum. Utrum Plybius ipse an epitome Polybiana an alius Graecus auctor accuratissime eius vestigia secutus — nam Graecum fuisse paucis illis, quae supra attuli, ostenditur — Liciniano materiam praebuerit, aperte diiudicari non potest.

II.

Originem Polybianam redolet aliud quoque libri XXVIII fragmentum (fol. XII r, ed. Bonn. p. 14). In priore parte Licinianus nonnulla nova affert de P. Cornelio Lentulo cons. suff. anni 592 (162), quem, cum praetor urbanus esset, narrat agrum Campanum pecunia publica coemisse. Sed praetermitto hanc

---

[1]) Ruhnken ad Vell. Paterc. I, 10, 1.

partem,[1]) cum ad fontes scriptoris cognoscendos nullam praebeat ansam. Sub finem fragmenti Granius redit ad res in Syria gestas.

Senatus regnum Syriacum attribuit Antiocho Eupatori, Epiphanis filio. Frustra patruelis eius Demetrius, qui a patre suo Seleuco IV obses Romam erat missus, in senatu illud regnum sibi vindicat (Polyb. XXXI, 12; App. Syr. 46 cf. Flathe II p. 415 sqq.). Atque quas causas Licinianus eum facit in senatu afferentem, easdem invenimus apud Polybium. Conferas:

Lic.	Polyb. XXXI, 12, 5. 6.
Id Demetrio . . . pe[t]enti [d]en[e]g[a]bat[2]) (sc. senatus), cum ille se et [puerul]um [R]omam [v]enisse et aetate maiorem esse ad annos XXIV praedicaret: patriam sibi etiam Romam esse, senatum parentem, et cum haberet mis[ericordiam senatus][3])	Διαθεμένου δὲ καὶ πλείονας λόγους αὐτοῦ (i. e. τοῦ Δημητρίου) πρὸς τὴν προειρημένην ὑπόθεσιν, καὶ μάλιστα προσδραμόντος ἐν τῷ λέγειν διότι συμβαίνει καὶ πατρίδα καὶ τροφὸν τὴν Ῥώμην ὑπάρχειν αὐτῷ, καὶ τοὺς μὲν υἱοὺς τῶν ἐκ τοῦ συνεδρίου ἅπαντας ἀδελφῶν ἔχειν διάθεσιν τοὺς δὲ βουλευτὰς πατέρων διὰ τὸ παραγενέσθαι μὲν ἔτι νήπιος, τότε δὲ κατὰ ἡλικίαν ὑπάρχειν ἐτῶν εἴκοσι καὶ τριῶν, ἐνετρέ-

[1]) Cf. Mommsen „Röm. Gesch.“ II[7] p. 92 et „Röm. Staatsrecht“ II[3] p. 195 adn. 3, Lange „Röm. Altert.“ II p. 276 et 306. Sed Mommsen (Röm. Gesch. l. c. in adn.) in errorem incidit, cum ex Cic. de leg. agr. II, 30, 82 colligit Lentulum apud eos, qui a principio agros possidebant, in universum nihil effecisse, cum agros vendere noluissent. Apud Ciceronem enim haec tantum leguntur: ‘dicitur renuntiasse nulla se pecunia fundum cuiusdam (— ergo non omnium, sed unius cuiusdam hominis –) emere potuisse eumque, qui nollet vendere, ideo negasse etc.’

[2]) ‘iun|gebat’ cod., ‘denegabat’ Keil, ‘negabat’ Bonn; sed in litteris IUN plus inerat quam NE (potius DENE).

[3]) Sic ultimis verbis textum supplet Hirschfeld atque persuasit mihi.

πovτo μὲν ἅπαντες ἀκούοντες ἐν ἑαυτοῖς, κοινῇ γε μὴν ἔδοξε τῇ συγκλήτῳ τὸν μὲν Δημήτριον κατασχεῖν, τῷ δὲ καταλελειμένῳ παιδὶ συγκατασκευάζειν τὴν ἀρχήν.[1])

Hic pro explorato habendum est Licinianum ad verbum vertisse narrationem Polybianam, atque concentus verborum tantus est, ut verisimilius mihi videatur Granium ex ipso Polybio vel epitome Polybiana quam ex Graeco fonte ad Polybium redeunte hausisse. Quod autem hic satis certo cognovimus, idem statuendum est de fragmento illo, quod primo loco in quaestionem vocavimus.

III.

Ex iis, quae adhuc disseruimus, satis clare iam apparet res Asiaticas secundum optimum fontem enarratas fuisse. Et tamen, quantum ex fragmentis cognosci potest, in rebus Syriacis describendis Licinianus non copiosior erat quam iis locis, quibus de rebus Romanis agit. At unum exstat fragmentum valde memorabile (fol. II u, ed. Bonn. p. 36), quo de intestinis rebus Bithynicis tam multa affert, ut hoc loco usitatum scribendi modum atque rationem prorsus videatur mutasse. Id adhuc nondum observatum esse videtur.

Sub finem fol. II r (ed. Bonn. p. 34) Licinianus exponit de Sullae post pacem Dardani factam institutis et postremo (col. B 15 sqq.) Nicomedis III Philopatoris regnum Bithyniae commemorat esse restitutum. Fol. II u (p. 36) accuratissime agitur de huius Nicomedis III et Socratis fratris vita ante acta, qua in

---

[1]) App. Syr. 46, quem usque ad c. 52 verisimile est Polybium sequi, causam petendi omnino non affert. Quod dicit: Δημήτριον . . . . , ἔτος ἄγοντα τρίτον ἐπὶ τοῖς εἴκοσι, qua in re uno anno differt a Polybio neglegentiae scriptoris tribuendum esse videtur.

re enarranda scriptor redit ultra mortem patris Nicomedis II[1]) i. e. ultra annum circiter 660 (94). Sed quomodo p. 34 fin. transitum ad priores res Bithynicas reppererit, dici iam non potest, cum finis fol. II r adeo sit mutilatus, ut de remedio plane desperes.[2])

Recte iam totum fragmentum explicavit Th. Reinach „Mithridates Eupator“ (qui liber in nostrum sermonem ab Goetzio translatus est, Lips. 1895) p. 106—108.[3]) Sed num vera sint quae tradit Licinianus, eo minus potest diiudicari, quod apud eum solum haec legimus. Pauca enim, quae praeterea de Socrate regni aemulo traduntur, pertinent ad posteriora tempora. Ea autem, quae post eius cum Mithradate coniunctionem acciderunt, hoc fragmento non iam commemorantur.

---

[1]) Hic apud Lic. appellatur ‘Euergetes’ (A 4) ut edd. Bonn. recte correxerunt. Adhuc nummorum testimonio (Eckhel D. N. II p. 444) vocabatur Epiphanes. Sed ut iam Francken p. 260 monuit, non improbabile est „Epiphanis cognomen potius tanquam appellativum (= Augusti) regis titulo quam nomini proprio additum esse, quia in nummis Ἐπιφάνους semper ponitur post βασιλέως et ante Νικομήδους.“

[2]) Parum verisimile arbitror, quod Francken p. 244 de transitu a pace ad res Socratis facto coniecit, qui prima verba fol. II u ‘[in]vidiose exequebatur (?) [sa]tis exercitus in priore [fo]r[t]una’ (ed. Bonn.) liberrime sic mutata ‘inv. ex. [quantam] ex[p]ertus in priore [vita fo]r[t]una[m]’ refert ad Socratem. Referenda potius sunt ad Nicomedem III. Verba enim ‘uno isto filio’ (v. 8), quibus significatur Nicomedes III, intelligi non possunt, nisi antea de hoc sermo erat.

[3]) Franckenii expositio satis artificiosa, quam hic repetere longum est, collabitur. Nititur inprimis his verbis col. B 5 sqq. ‘haec | Socrates ad regem fecit | regem refert bellum con|tra fratrem incitavisse’ nimis audacter ita correctis ‘hanc Socrates ad bellum contra regem (i. e. Mithradatem) refert fratrem incitavisse’, quam mutationem sic defendit: verba ‘regem refert’ cum dittographia ‘regem fecit’ alieno loco erant inserta. Sed quamvis concedas hoc fieri potuisse, tamen intelligi non potest, quomodo ‘rex’ per se, antea Nicomede tantum commemorato, significare possit Mithradatem! Verba ‘regem fecit’ ut dittographia cum edd. Bonn. delenda potius sunt et rex sine dubio est Nicomedes III (cf. Reinach p. 107 med.).

Cognomen ei fuisse Chresto (Lic. B 8) testatur etiam App. Mithr. 10, Memnon c. 30, Just. XXXVIII, 5, 8. Atque in senatu Romano disputatum esse, cui regnum Bithyniae daretur (cf. Lic. B 10 sqq: 'Romam ad regnum expetendum frustra profectus') apparet etiam ex Cic. de orat. III, 61, 229 et ex Memnon. c. 30. Ab hoc quidem Licinianus in ea re differt, quod Nicomedis III matri, quam Memnon appellat Nysam, nomen dat Aristonicae (A 10).[1]) Cetera, quae tradit Licinianus, cum alibi nusquam occurrant, supervacaneum potest videri fontem eius quaerere. Sed si totius fragmenti tenorem respicias consideresque, quam copiose omnia explicentur, quam accurate nomina afferantur vel eorum, quos ut Nicomedis II concubinam scire minus intererat, facile concedas hic quoque optimum atque uberrimum fontem Graecum scriptori ante oculos fuisse, praesertim cum iam antea nobis persuaserimus in rebus Syriacis enarrandis eum Graecum auctorem esse secutum. Nam quem Romanorum scriptorum domesticae illae res Bithynicae poterant delectare? Iam Klebs „de scriptoribus aetatis Sullanae" p. 6 dubitat, „num Livius tradiderit, quae p. 37 continentur". Neque neglegendum est Livium temporum rationem secutum res Bithynicas in libris 74 et 76[2]), pacem Dardani factam in 83. demum libro narravisse, Licinianum autem descripto bello Mithradatico recurrere ad res priores. Itaque hoc quoque prorsus pugnat cum Madvigii sententia, qui Liciniani historiam existimat esse epitomen Livianam. Eodem fragmento refellitur edd. Bonn. opinio, qui fragmenta, quae nos habemus, non ipsius esse Liciniani, sed ex eius historia excerpta putabant. Quam accurate copioseque censendum esset „ipsum Licinianum" has res tradidisse, si hoc fragmentum esset excerptum

[1]) Apud Lic. (B 1) Nicomedis III uxor appellatur Nysa Ariarathis Cappadocum regis filia. Pertz p. 42 adn., Francken p. 259, Reinach p. 314 adn. 5 comparant Sall. Hist. IV, 19, 9 ed. Kritz (= IV, 69, 9 ed. Maurenbrecher). Sed dubito an, quam Sallustius appellat, Nysa quarti Nicomedis fuerit uxor. Cf. Ed. Meyer „Gesch. d. Königreichs Pontos" (Lips. 1879) p. 97 adn.

[2]) Ubi probabile est in codicibus permutationem esse factam cf. Reinach l. c. p. 109 adn. 2.

tantum ex eius historia! Praeterea non intellegi potest, cur haec ipsa narratio minime salsa epitomatori inprimis placuerit, si ut Francken (p. 245) dicit, ab eo „minus contracta fuit quam reliqua".

Quotienscunque hoc fragmentum legebam, mirabar tam saepe commemorari Cyzicum urbem: Cyzicena est mater Socratis;[1] eo cum filio ablegatur; eodem revertitur Socrates, postquam frustra Romae a senatu regnum Bithynicum petivit; occisa denique sorore, cuius patrimonium arripere studet, a Cyzicenis indignatis et Nicomede cum iis coniuncto cogitur fugere. Videtur igitur Cyziceni cuiusdam narratio nobis esse servata velut illius Teucri Cyziceni,[2] sive Granius hunc ipsum ante oculos habuit, sive auctorem ad illum redeuntem secutus est.

Sed hanc digressionem, etiamsi Cyziceno scriptori eam deberi concedamus, tamen admirationem nobis movere necessarium est. Neque enim apparet, cur hanc maxime Licinianus dignam putaverit, quam operi suo insereret. Casu mea quidem sententia accidisse non potest, ut res Bithynicas scriptor multo copiosius enarraret, quam omnes ceteras res. Certa potius huius rationis causa quaedam videtur esse quaerenda, qua in re utrum ille in Bithynia natus an magistratu functus sit, in medio relinquo. Tametsi igitur nobis non licet quaestionem ad finem perducere, tamen quicunque proprietatem et dispositionem operis Liciniani cognoscere vult, eius magni interest de hoc fragmento, quod Madvig iniuria neglexit, diligentissime quaerere.

---

[1]) Si col. A 12 probamus Keilii coniecturam 'Hagne Cyzicena'. Pertz legit 'Hane Sicheana'.

[2]) De quo cf. Susemihl „Gesch. d. griech. Litt. in der Alexandrinerzeit" II p. 376 adn. 159.

CAPUT II.

De bello Cimbrico.

I.

Transeamus ad Liciniani de bello Cimbrico fragmenta (fol. I et VIII, ed. Bonn. p. 16—20), quae quo in libro fuerint non constat. Prius fragmentum est de proeliis anno 649 (105) ad Rhodanum flumen commissis et quidem prima verba pertinent ad interitum M. Aurelii Scauri.

Hae res alibi accurate non traduntur nisi in Liv. per. 67: 'M. Aurelius Scaurus legatus consulis a Cimbris fuso exercitu captus est et cum in concilium ab eis advocatus deterreret eos ne Alpes transirent Italiam petituri eo quod diceret Romanos vinci non posse, a Boiorige feroci iuvene occisus est'. Paucis commemoratur Scauri mors a Vell. II, 12, 2; Tac. Germ. 37; Dion. Cass. fr. 89 (Melber); [Quint] decl. III, 13; Oros. V, 16, 2.[1]) Quae Granius praebet, concinunt cum Liv. per., nisi quod duas res addit: 1. 'equo deiectum' 2. 'ipsis petentibus ducem se tradere'.

Deinde apud Licinianum scriptum videmus de simultate inter Mallium[2]) et Caepionem duces orta. Sed cum pauca tantum de bello Cimbrico maximeque de iis, quae ante Marii imperium acciderunt, memoriae prodita sint atque etiam Plutarchus illa fere praetermittat, auctoribus de hac re praeter Licinianum careremus, nisi unus rerum scriptor, Dio Cassius fr. 89, copiosius

---

[1]) Falso Orosius proelia ad Rhodanum facta anno 642 (112) fuisse dicit ac, nisi forte nomen in codicibus depravatum est, M. Aemilium consularem appellat.

[2]) Nomen consulis traditur apud Lic. fol. I u 'Manlius', fol. VIII r 'Manilius'. Etiam in ceterorum scriptorum codicibus formas nominis maxime varias invenimus. Verum nomen, quod etiam inscriptiones (C. I. L. X, 1781; C. I. Gr. 2485) testantur, sine dubio est: Cn. Ma*ll*ius Maximus; cf. De-Vit, Onomasticon IV p. 288 et Mommsen (apud Borghesium „Oeuvres complètes“ II p. 219 adn. 6), qui gentem Malliam plebeiam ab Manlia patricia separandam esse nos docet.

de illa simultate ageret.[1]) Atque Dio et Granius maximis de rebus consentiunt, nisi quod alter altero plus habet. Haec singula afferam: Post Scauri cladem Mallius proconsulem adhortatur, ut cum maiore exercitu copias suas coniungat. Qua in re Granius, cum dicit 'litteris supplicibus orasset' fortasse aliquantum modum transit, nam apud Dionem simpliciter scriptum est μετεπέμψατο τὸν Σερουίλιον. Caepio, etsi primo recusaverat (Dio), tamen Rhodanum transgressus est (Lic.) veritus ne Mallius solus sibi laudem pararet (Dio): ex Granii verbis dilucide cognoscimus Caepionem primo in dextra fluminis ripa constitisse ac tum demum transiisse ad ripam sinistram. Qua re illustratur, quod Dio Caepionem respondentem facit Mallio τὴν ἑαυτοῦ ἑκάτερον δεῖν φυλάττειν et eiusdem verba καὶ ἦλθε μὲν πρὸς αὐτόν iam clariorem lucem accipiunt. Veram autem esse Liciniani narrationem testatur etiam Orosius, cum dicit: 'provincias sibi Rhodano flumine medio diviserunt'. Caepio, quamquam timido se consuli opem laturum esse gloriatur (Lic.), tamen commune cum eo consilium capere non vult (Dio.: οὔτε ἐν τῷ αὐτῷ χωρίῳ ηὐλίσατο οὔτε τι βούλευμα κοινὸν ἐποιήσατο; Lic.: ne communicare quidem cum eo consilium belli gerendi voluit), sed castra ponit inter Cimbros et Mallium, ut prior ab hostibus petatur (Dio). Tum Granius solus affert legatos missos esse a senatu Romano neque est, cur hanc narrationem Francken (l. c. p. 255) fictam esse existimet; immo vero maxime ea idonea est qua illustretur, quam debile atque infirmum tum fuerit imperium senatus.[2]) Contra Dio solus tradit, Mallium et Caepionem a militibus ad colloquium convenire coactos esse, sed acriore etiam ira inflammatos discessisse. Idem Cimbros dissensione ducum nondum perspecta legatos misisse dicit, qui cum Mallio agerent. Sed totus hic locus parum perspicuus est atque ab excerptore mutilatus esse videtur: ὡς δὲ πρὸς Μάλλιον ὑπατεύοντα διεκηρυκεύσαντο, ὁ Σερουίλιος ἠγανάκτησεν, ὅτι μὴ πρὸς ἑαυτὸν ἐπρεσβεύσαντο, καὶ οὔτε τι συμβατικὸν ἀπεκρίνατο, ὀλίγου τε καὶ τοὺς πρεσβευτὰς διέφθειρεν. Post verbum enim ἐπρεσβεύσαντο

[1]) Paucissimis verbis hanc discordiam memorat Oros. V, 16, 2.

[2]) Sic iudicat etiam Neumann „Gesch. Roms während d. Verfalls der Rep.“ I p. 360.

necessario pro particula καὶ desiderantur haec fere: πρεσβευτῶν δὲ καὶ πρὸς αὐτὸν ἀφικομένων. Granius eius tantum legationis mentionem facit, quae ad Caepionem missa est, sed docet nos quid Germani postulaverint: 'agros petentes frumentumque quod sererent'. Ac ne hic quidem video, cur cum Franckenio (p. 252) credamus Licinianum illas condiciones, quas Germani a. 645 (109) Silano proposuissent (Flor. I, 38, 2; Liv. per. 65) falso transtulisse in annum 649 (105). Nam Germani non solum a. 645, sed quotienscunque in peregrinationibus cum Romanis agebant, agros postulabant.

Quodsi Dionis et Granii narrationem coniungimus — neque est, quod rebus ab utroque allatis fidem derogemus — non ita recte Mommsen (R. G. II p. 177) et Nitzsch (R. G. II p. 123) res ad Rhodanum gestas videntur describere, cum narrant Caepionem veritum, ne Mallius qui cum legatis Cimbrorum agebat, solus gloriam victoriae nancisceretur, sine illo temere suo exercitu in hostes invasisse. Immo necessarium est cogitare Cimbros etiam ad Caepionem misisse legatos, fortasse quod Mallius solus cum iis agere nolebat. Sed ille turpissime in eos egit (Dio, Lic.) nec multum afuit, quin eos necaret (Dio). Tum demum 'desperata pace'[1]) Cimbri postero die Caepionis castra aggressi expugnant[2]) et 'maxima pars exercitus deleta est' (Lic.).

---

[1]) Col. B 16 sqq. cod. habet: SUBMOL|T
UTDESPERATAPACEADOL..
CAPTAPOSTERODIECASTR.

Omnes coniecturae, quae 'capta' mutant, reiciendae sunt; nam „de his litteris, ut Pertz adnotat, dubitari non potest quas pater quoque h. l. exstare vidit". Verisimillimum mihi videtur, quod Bursian (in Fleckeis. ann. phil. LXXVII (1858) p. 650) coniecit: librarii oculis in praecedentem versum aberrantibus (ADOL|T) aliquid excidisse velut 'ad arma redirent'.

[2]) Illud enuntiatum, quo haec a Lic. traduntur, perturbatum est additamento. Nam verba 'neque adduci potuit, cum non multo abesset, ut exercitum iungeret' de Mallio vix possunt intellegi. Ea post 'voluit' (B 7) transponenda esse puto. Hac coniectura accepta et narratio plana fit et vitii origo facile potest cognosci. Nam librarius

Apparet igitur ex verbis Granianis Servilium priorem cladem accepisse idemque testantur hi:

1. Sall. Jug. 114 'Per idem tempus advorsum Gallos ab ducibus nostris Q. Caepione et Cn. Manlio male pugnatum'.

2. Tac. Germ. 37 'At Germani Carbone et Cassio et Scauro Aurelio et Servilio Caepione Cn. quoque Manlio fusis vel captis quinque simul consulares exercitus populo Romano — abstulerunt'.

3. Vell. II, 12, 2 'Effusa — immanis vis Germanarum gentium, quibus nomen Cimbris ac Teutonis erat, cum Caepionem Manliumque consules et ante Carbonem Silanumque fudissent fugassentque in Galliis et exuissent exercitu'. — Neque enim casu factum videtur, ut omnes hi scriptores Servilium legatum primo loco commemorent.

4. Etiam Dionis verba: ἀλλ' ὡς καὶ πρότερος αὐτοῦ τοῖς Κίμβροις συμμίξων τήν τε δόξαν τοῦ πολέμου πᾶσαν ἀποισόμενος ἐν μέσῳ ἱδρύθη eundem ordinem probare videntur.

At Livius et qui eum sequuntur scriptores Mallii cladem ante Caepionis ponunt:

1. Liv. per. 67 'ab isdem hostibus Cn. Manlius consul et Q. Servilius Caepio procos. victi proelio castris quoque binis exuti sunt'.

2. Oros. V, 16, 1 'C. Manlius consul et Q. Caepio proconsule adversus Cimbros et Teutonas — missi — victi sunt'.

3. Eutrop. V, 1 'Dum bellum in Numidia contra Jugurtham geritur, Romani cons. M. Manilius et Q. Caepio a Cimbris et Teutonibus — victi sunt iuxta flumen Rhodanum'.

Dixeris forsitan hac re nihil probari nisi epitomatorum neglegentiam, quae etiam inde cognoscatur, quod Eutropius minus accurate Caepionem dicat consulem. Dixeris quoque consulto

---

ab NEQ (ADDUCI), quod in archetypo post 'voluit' erat, aberrasse videtur ad NEC (LEGATIS), quod haud multum aberat, deinde, cum defectum animadvertisset, verba 'neque — iungeret' in margine posuisse, unde postea ea falso loco in textum venisse iudicandum est. — Bursian illa verba loco tradito ita interpretatur, ut de exercitu Caepionis ex castris pulso ea dicta esse putet, id quod mihi non satis verisimile est.

Mallium, cum consul esset, ante legatum esse appellatum. Sed has coniecturas falsas esse clarissime ostendit:

4. Flor. I, 38, 4. 'Sed nec primum impetum barbarorum Silanus nec secundum Manilius nec tertium Caepio sustinere potuerunt'.

Quae verba cum sint certissima, de Flori errore cogitandum non est, praesertim cum qui praeterea ex Livio pendent, ipsi quoque tradant Mallium ante Caepionem ex proelio inferiorem discessisse. At Granii memoria non solum cum Sall., Tac., Vell.,[1]) Dione concinit, sed etiam temporum connexu melior comprobatur.[2]) Unde elucet fragmentum Liciniani, de quo nunc agitur, non excerptum ex libris Livianis, sed ex alio auctore eoque meliore haustum esse.

Alterius paginae eiusdem folii (ed. Bonn. p. 18) pauca tantum extricari possunt. Sinistra columna sine dubio clades Malliana narrata erat; in altera (v. 5 sqq.) inveniuntur verba 'eo convenerant . . . . . . quot reliqu[i] fuerunt', quae referenda sunt ad exercituum reliquias. V. 8 Hirschfeld mecum communicavit se in fragmento cognoscere diem pugnae apud Arausionem commissae, qui non traditur nisi apud Plut. Luc. 27. Leguntur enim haec: RINONC . . . OB, quae egregie sic putat supplendum: PRINONOCTOB = [p]ri(die) Non(as) O[ct]ob(res). Tum v. 7 post 'reliqui fuerunt' spatium vix aliud admittit atque '[pugn]a [f]a[cta est]'.

Sequuntur secundum ed. Bonn. v. 8 sqq. 'militu(m) [calon]umque[3])

---

[1]) Burmeister „de fontibus Vellei P." (Berol. 1894) quamquam demonstravit Livium fontem primarium Vellei fuisse, tamen etiam alios scriptores ab eo inspectos esse concedit. Nostro loco fortasse Nepotis chronicis usus est, quorum vestigia in c. 8—10 deprehendimus (cf. Burmeister p. 20 et 46).

[2]) Non recte Nitzsch (l. c. adn.) de temporum consecutione dubitare mihi videtur.

[3]) 'calonumque' certum esse mihi videtur, quod postea (v. 12) de equitibus sermo est neque de alio copiarum genere cogitari potest. — Verba, quae v. 12 sq. traduntur, fortasse sic supplenda sunt: 'consules et equites Romani e[x proelio effugerant]'.

non minus sem[u]l periisse existim[an]t[u]r . . .', quibus in verbis 'semul' (cod. SEMEL) maxime dubium est; numerus potius militum et calonum interfectorum pro 'semel' restituendus esse videtur. Quem Liv. per. 67 ita affert, ut milites et calones secernat: 'militum milia octoginta occisa, calonum et lixarum quadraginta secundum Arausionem', ubi numeri Antiatem sapiunt, quod affirmat Oros. V, 16, 3. 4 'octoginta milia Romanorum sociorumque ea tempestate trucidata, quadraginta milia calonum atque lixarum interfecta Antias scribit; ita ex omni penitus exercitu decem tantummodo homines, qui miserum nuntium ad augendas miserias reportarent, superfuisse referuntur.' Hos numeros ab Antiate fictos esse non est quod moneamus.[1] Apparet autem Granii verba 'eo convenerant — quot reliqui fuerunt' non posse de decem hominibus dicta esse, ita ut ad Valerium Antiatem redire nequeat.[2]

Sed cave, ne inde confidenter concludas Livium Liciniano in manibus non fuisse. Licet enim conicere Livium praeter Antiatem etiam ex aliis auctoribus sumpsisse numeros. Nam Valerii narrationi maximeque numeris mirum in modum auctis diffisum eamque ob rem graviter in eum invectum esse Livium inter omnes constat. Quodsi recte statuimus Livio aliorum testimonia praesto fuisse, in illam epitomen Livianam deperditam, ex qua et periochae superstites et Orosius manaverunt,[3] sola Antiatis

---

[1]) Diod. 36, 1 qui Posidonium sequitur (cf. Müllenhoff „Deutsche Altertumskunde" II p. 177 sqq.) prodit toto illo bello Gallico circiter LX milia militum periisse. Atque Vegetius, de re mil. III, 10, qui quamquam ut posterioris aetatis scriptor non ita magna fide dignus est, tamen non prorsus debet neglegi, etiam Marium reliquias amborum exercituum repperisse docet.

[2]) Hoc praeterit Franckenium (p. 251), qui v. 10 SEMEL mutat in XLMIL „ita ut scriptor calonum et lixarum quadraginta milia interempta esse nimis credulus ex Valerio Antiate repetiverit." Neque respicit Licinianum dicere de 'militibus [calon]ibus*que*' (v. 8/9). Quot autem MIL. ponenda sint, plane incertum manet.

[3]) Zangemeister „Die Periochä des Livius" in „Festschr. z. 36. (Karlsruher) Philologenversammlung" 1882 p. 89 sq.

memoria recepta est.[1]) Sed iam pridem viri docti animadverterunt Livium quamvis saepe Antiatis mendacia impugnaverit, nihilominus in compluribus libris eius annalibus tanquam fundamento historiarum suarum usum esse.[2]) Atque fortasse in iis quoque partibus, quae ad nostram quaestionem pertinent, eum secutus est. Müllenhoff (l. c. p. 125 sqq.) accurate demonstravit Livium interdum Posidonio Apamensi, fonte primario, neglecto annalium scriptorem Romanum inspexisse. Hoc ut exemplum afferam, inde apparet quod in describenda pugna apud Aquas Sextias commissa Plutarchus (in vita Marii), Posidonii assecla, prorsus dissentit ab Liv.-Orosio. Hunc annalium scriptorem fuisse ipsum Valerium nullo certo argumento Müllenhoff confirmat nisi loco Orosiano, quo numerus hominum ad Arausionem interfectorum ab Antiate repetitur. Etsi igitur de nomine mea quidem sententia minus certum est iudicium, tamen de re non est dubitandum. Atque verisimile est Livium etiam in enarrandis proeliis ad Rhodanum commissis ex illo annalium scriptore, non ex Posidonio hausisse. Nam hoc modo intellegi potest Livium falsum proeliorum ordinem praebere, quod si Posidonium ante oculos habuisset, valde miraremur.[3])

Sed ut ad Licinianum revertamur, quamquam ex illo loco quo de militum apud Arausionem caesorum numeris agitur, nihil certi[4]) colligi posse perspeximus, tamen quicunque diversam proeliorum consecutionem, quam supra memoravimus, respiciet,

---

[1]) Orosius etiam IV, 20, 21 tantummodo numeros Antiatis habet, non Polybii, quamquam Livius ipse (XXXVI, 19, 11) hunc praefert.

[2]) Nissen „Krit. Unters." p. 46.

[3]) Nullius momenti est, quod etiam Plut. Mar. 19 qui Posidonium sequitur, in descriptione pugnae apud Aquas Sextias commissae Mallium priore loco obiter affert (τῶν πολεμίων τὸ μαχιμώτατον μέρος, ὑφ' οὗ προήττοντο Ῥωμαῖοι μετὰ Μαλλίου καὶ Καιπίωνος πρότερον κτλ.) Nam haec verba ex memoria esse conscripta manifestum est.

[4]) Non video quo iure edd. Bonn. sine ulla dubitatione p. 19 adn. dicant: „discrepat Livi periocha", cum numerus apud Lic. legi non possit.

facile concedet Licinianum in describendis his proeliis non adiisse Livium.

Iam videamus, appareatne vestigium quoddam, quo Liciniani auctor cognoscatur. Ex Granii cum Cassio Dione consensu, quem in singulis rebus supra deprehendimus, nihil hic licet concludere, cum quo ex fonte Dio pendeat, plane ignoremus. Sed fortasse proprietatem quandam grammaticam in usum nostrum conferre possumus.

Legimus enim p. 16 (ed. Bonn.) col. A: 'M. Aurelium Scaurum — ceperunt equo deiectum; nam is vocatus in concilium ab is nihil indignum viro Romano — aut fecit aut dixit. itaque interfectus est, cum posset effugere', ubi C. G. Schmidt (Phil. XIII p. 225) pro 'nam' proposuit 'iam', quod saepe cum illa particula in codicibus est commutatum[1]), sed ne haec quidem vox aptam praebet sententiam. Servata autem particula 'nam' constructionem habemus apud scriptores Latinos tam raram, ut apud Plautum solum occurrat:[2]) celeritate cogitandi adductus scriptor id enuntiatum, quod causam affert, ante id ponit, cuius causa affertur. Eo magis usitata est haec constructio apud Graecos scriptores[3]) non solum in versibus sed etiam in pedestri sermone: saepius posterius enuntiatum, quod particula γάρ declaratur, altera voce annectitur: sic invenimus apud Homerum τῷ, apud Herodotum ὦν (cf. VI, 11) vel τοιγαρῶν (IV, 149), apud Atticos οὖν (cf. Xen. Anab. V, 1, 8). His particulis apud Granium accuratissime respondet 'itaque'. Quae constructio non intelligi potest nisi Licinianum eam ex graeco aliquo fonte ad verbum in latinum convertisse censemus.[4])

---

[1]) Hand, Turs. III p. 157.

[2]) Kühner „Ausführl. Grammatik der lat. Sprache“ II p. 717.

[3]) id. „Ausf. Gr. d. griech. Spr.“ II² p. 853 sq.

[4]) Ea quae sequuntur enuntiata male inter se coniunguntur; nam verba 'et nec ipsis petentibus etc.' referenda sunt ad 'nihil indignum — aut fecit aut dixit' et necessario ante 'itaque interfectus est' ponenda erant. Itaque edd. Bonn. ex hoc loco indicium epitomes repetunt: „memorata Scauri morte non sustinuit qui has historias excerpebat omittere hoc romanae virtutis specimen addiditque illius suae quam novimus particulae ope“ (p. XVIII med.). Quam conclusionem

Graecos enim scriptores inter Granii fontes fuisse capite I. satis probatum est, ita ut non dubitem Granio etiam bellum Cimbricum enarranti Graecum vindicare auctorem. Sed quis ille fuerit, in coniectura positum est. Cogitare possis de historia graeca Rutili Rufi, cuius in rem publicam merita in altero fragmento (p. 20 col. B) laudibus efferantur (cf. infra). Equidem conicio Licinianum redire ad Posidonium,[1] gravissimum belli Cimbrici narrationis auctorem, per Strabonis ὑπομνήματα ἱστορικά ei subministratum, propterea quod Strabonem in bello civili describendo fontem primarium fuisse cum aliqua veri similitudine infra me demonstraturum esse spero. Sed licet nomen scriptoris pro certo extricari non possit, tamen prorsus aliter de hoc fragmento iudicandum esse cognovimus atque adhuc viri docti censebant.

II.

Exstat alterum de bello Cimbrico fragmentum (fol. VIII r, ed. Bonn. p. 20), quo agitur de rebus eodem anno 649 (105) gestis. Col. A exponitur de multis prodigiis, quae post cladem

---

necessariam esse equidem non contenderim. Haud minus bona videtur haec explicatio: in Graeco fonte enuntiatum ('et nec ipsis etc.') causali aliqua particula cum antecedenti enuntiato ('nihil indignum — fecit') coniunctum erat, quod Granius non ita apte sane suae particulae ope 'et' annexuit. — Ceterum ex structura 'nam — itaque' apparet, quam accurate Lic. vestigia auctoris presserit.

[1]) Hac coniectura accepta facile etiam explicari potest, quomodo factum sit, ut Dio de Caepione et Mallio idem fere traderet atque Licinianus. Constat enim Dionem Polybio usum esse (cf. Baumgartner „Über d. Quellen des C. D. für die ältere röm. Gesch.“ Tubing. 1880). Cur igitur non credamus illum ex eo quoque hausisse, qui Polybii historias continuavit? Utique negandum esse puto, quod Müllenhoff p. 123 adn. statuit, Dionis narrationem ex Livii libris derivatam esse, cum Cassius Dio verum proeliorum apud Arausionem factorum ordinem noverit. Consensum autem, qui inter Dion. fr. 92, 2 et Orosium Florumque intercedit (Müllenhoff p. 142 adn.) ita expedio, ut Livium et Cassium ex eodem auctore, nempe ex Posidonio, pendere censeam.

apud Arausionem a Romanis acceptam visa sint. Horum alterum et tertium mutato quidem ordine etiam apud Jul. Obs. 42 occurrunt. Neque inutile esse videtur utriusque verba inter se comparare:

Lic.	Jul. Obs.
et in Sabinis Martis signum in c[ap]ut devolutum nuntiatur, et die quodam an[te] ludos qui futuri erant[1]) [c]um tubicines apud aram concinerent, [a]ngues nigri subito ap[pa]ruerunt neq(ue) ante [inter] se concurrere et mor[si]b(us) mult[i]s invadere [d]esiverunt quam tubicines conticuissent, nec usquam derepente apparuerunt.	P. Rutilio Cn. Manlio coss. Trebulae Mutuescae antequam ludi committerentur canente tibicine angues nigri aram circumdederunt, desinente cantare dilapsi; postero die exorti a populo lapidibus enecati; foribus templi adapertis simulacrum Martis ligneum capite stans inventum.

Quamquam non est, quod censeamus haec prodigia a Graeco auctore, quem Liciniano praesto fuisse statuimus, praetermissa esse,[2]) tamen Granius a priore fonte recessisse putandus est; nam firmo argumento infra evincam scriptorem altero quoque fonte in hoc fragmento usum esse. Atque cum Granius valde concinat cum Obsequente, primum cogitabimus de Livio.[3]) Neque impedimento est, quod apud Obsequentem duo tantum prodigia Graniana leguntur; nam illum epitomen tantum Livianam ante oculos habuisse inter omnes constat. Ac si quis putet Liciniani verba 'nec usquam derepente apparuerunt' non ita quadrare ad Livii 'postero die exorti etc.', equidem Licinianum cum Livio non

---

[1]) Fortasse nomen dei vel deae excidit.

[2]) Nam et Posidonius et Strabo prodigia et omina diligenter collegerunt cf. Diels „Sibyll. Blätter" (Berol. 1890) p. 21 et Otto in stud. Lips. XI suppl. (1889) p. 281 et 303.

[3]) Cur iis locis, quibus Licinianus congruit cum Liviana memoria, illum putemus non ex Livio ipso sed eius fonte hausisse, non intellego. Omnino potius Livium illi ignotum fuisse cogitari nequit, si reputamus, quanta auctoritate Livius tum inter scriptores floruerit.

discrepare arbitror, dummodo illius sententiam recte percipias. Nam verba 'derepente' et 'non apparuerunt', quae primo oculorum obtutu inter se pugnare videntur, ita interpretanda sunt, ut germanice vertas: „und plötzlich waren sie nirgendwo mehr sichtbar i. e. sie verschwanden plötzlich."

Magni momenti ad Liciniani rationem historias scribendi cognoscendam sunt verba col. B 4 sqq. 'Cn. Manilius ob eandem causam quam et Caepio L. Saturnini rogatione e civitate [plebis]cito eiectus'. Neglegamus nunc uncos ab edd. Bonn. positos et consideremus diligenter ipsa verba Graniana. Tum clare cognoscitur iam prius de Caepionis sorte expositum fuisse. Nam verba 'quam et Caepio' tantummodo referenda sunt ad verba 'ob eandem causam', quae per se nullum sensum praebent. Quae causa fuerit, iam antea explicatum fuisse censendum est. Accedit quod si non ita fuisset, Caepio ut graviore culpa inquinatus certe appellatus esset priore loco. Postremo verba 'e civitate eiectus' accurate intellegi non possunt de Caepione, qui si cetera, quae de exitu eius traduntur, non omittimus, capitis damnatus est, non exilio multatus.[1]) Effugit quidem custodiam a tribuno adiutus (Val. Max. IV, 7, 3), sed hac re verba 'e civitate eiectus' non satis explanantur.

Itaque Mommsenum (R. G. II p. 179 adn.), qui omnia quae apud scriptores de Caepione damnato dispersa sunt collegit, iniuria verbis quoque Granianis uti puto et rogationem Saturnini ab illo commemoratam eandem arbitrari atque legem de imminuta maiestate populi Romani a Saturnino tribuno pl. a. 651 (103) perlatam. Apud Ciceronem autem compluribus locis (de orat. II, 40, 167; 48, 199; or. part. 30, 105 etc.) C. Norbanus tribunus pl. traditur perfecisse, ut Caepio condemnaretur, et ob eam causam a. 659 (95) accusatus esse. Quod testimonium Mommsen ita explicat, ut leges plerumque a compluribus tribunis plebis latas esse iudicet; cum autem Saturninus iam de vita decessisset eo tempore quo optimates ulturi essent, collegam eius esse damnatum. Sed primum si re vera Saturninus una cum Norbano

[1]) Cf. Neumann l. c. I p. 412 sq.

legem tulisset, miraremur eum apud Ciceronem, qui de his rebus singula accuratissime exponit, nusquam nominari. Tum Mommseni sententia nullo argumento nititur nisi verbis Granianis, quae eum non recte interpretari censeo.

A Norbano igitur Caepio lege Saturnini de imminuta maiestate p. R. modo perlata reus factus est. Qua in re sequor Neumannium (l. c. p. 411 sq.), sed errat idem cum putat Granium neglegenter hoc loco Saturninum nominare pro Norbano. Verba enim 'Saturnini rogatione' tantum intellegenda sunt de Mallii accusatione; atque cur hanc Saturninus ipse suscepisse non putandus sit, non video: uterque tribunus pari diligentia studuit contra nobilium factionem pugnare.

Hoc Liciniani loco verba Ciceronis satis obscura (de orat. II, 28, 125 'Quid ego de Cn. Mallii . . . . commiseratione dicam?') clara fiunt. Cum alibi nihil de Mallio condemnato tradatur, ignoramus quo crimine accusatus sit. Quodsi apud Granium scriptum videmus 'ob eandem causam quam et Caepio', elucet ne eum quidem in pugna apud Arausionem facta laude dignum se praebuisse, nisi forte acerrimo partium studio factum est, ut collega collegae fortunam pateretur.

Iam videamus, quid inde de Liciniani auctore concludendum sit. Si constat scriptorem iam antea de Caepione narravisse, apparet ea, quae nostro loco dicuntur, addita esse ex alio fonte. Tum facilius intelligitur, quomodo factum sit, ut temporum ordinem confunderet Licinianus. Cogitari enim potest eum statim clade illa narrata de Caepionis sorte exposuisse secundum Graecum auctorem, apud quem rectum rerum per tres annos (649—51) gestarum ordinem fortasse repperit sibi ipse parum conscius, cum ille Graecus auctor vix annalium scriptorum ratione singulorum annorum res gestas explanaret; in scribendo autem eum Latinum quoque fontem inspexisse atque inde prodigia illa et fortasse alia quae ad nos non pervenerunt narrationi inseruisse, sed cum Latinum auctorem legere pergeret, vidisse se res ad Caepionem pertinentes iam narrasse, eaque de causa haec tantum addidisse, quae de Mallio scripta videmus, cum non perspiceret haec biennio posterius esse facta. Postremo Granius redisse ad priorem fontem

existimandus est; nam ea, quae sequuntur, rursus in a. 649 (105) incidunt.

Liciniani temporum error, de quo nemo dubitat, quomodo aliter explicari possit, non video. Nam „epitomatorem" propter nomen Mallii, quod infra occurrit, nonnulla, quae duobus annis post facta sunt, falso hic inseruisse edd. Bonn. mihi non persuaserunt. Praeterea 'collega Manili', quod proximis versibus legimus, testimonio est antea de Mallio sermonem fuisse.[1]) Ob eandem causam nemo statuere poterit verba 'Cn. Manilius — eiectus' a librario nescio quo margini adscripta in textum irrepsisse. Ac si quis putet illa verba ex alio loco operis huc transposita esse, ei demonstrandum est quomodo factum sit, ut enuntiatum de quo agitur huc transponeretur. Praeterea contra hanc quoque suspicionem pugnant verba 'collega Manili', de quibus modo disseruimus.

Iam vero nos convertamus ad proxima verba, quae ut tradita sunt, magnam difficultatem praebent: 'Rutilius cos. collega | Manili hoc anno Cn. | Pompeius natus est so|lus superrep.onit aeq(ue) | adq(ue) Cicero cum metus | adventa(n)tium Cimbro|rum totam quateret | civitatem, iusiuran|dum a iuniorib(us) exegit etc.' Ac Pertz iudicavit verba 'Rutilius cos. collega Manili' — cetera depravata reliquit — titulum novi anni in Liciniani „Annalibus" esse: proinde quasi unquam annus significatus sit alterius consulis nomine. Neque intelligitur, quid sibi velit haec inscriptio, cum iam antea de rebus a. 649 (105) gestis agatur.[2]) Aliam rationem ingressi sunt edd. Bonn., qui verba 'Rutilius — Manili' subiectum putant posteriorum verborum 'iusiurandum exegit', cum Pertz ut subiectum haberet nimis licenter subaudiret 'senatus'. Verba autem quae intercedunt 'hoc — Cicero' illi additamentum censent esse ab epitomatore factum. Quod in additamentum rursus arbitrantur verba nonnulla esse inculcata, cum sic textum restituant: 'hoc anno Cn. Pompeius natus est — solus super[io]re ponit —

---

[1]) Id quod iam edd. Bonn. p. XVII non praeteriit, qui si sibi constarent etiam verba 'collega Manili' includere debebant.

[2]) Nam Pertzium prodigia illa anno 648 (106) fuisse opinantem in errorem incidisse (cf. Jul. Obs. l. c.) nemo infitiatur.

aeque atque Cicero'. Difficultatem igitur huius loci ita expedire conantur, ut dicant (p. 21 adn.): „Granius Pompeium natum esse scripserat a. *647* (107), ceteri a. 648 (106), unde addidit epitomator 'solus superiore ponit', et ipse ad annum 648 Cn. Pompeium et Ciceronem natos esse adnotavit; duo haec additamenta in codice confusa in narrationem a. 649 (105) inrepserunt."

Quam coniecturam satis artificiosam iam refutavit Linker (l. c. p. 637 sqq.), cuius argumentationi pauca addenda esse existimo. Edd. Bonn., cum legant 'solus superiore ponit' ipsius Granii verbis nituntur (fol. V r, p. 38 A 2 sqq.) 'Pompeius annos natus XXV eq[ue]s Ro[manus, qu]od nemo antea, propraetore ex Africa triu[mph]avit IIII idus Martias'. Si enim Pompeius a. 673 (81) triumphasset, atque Licinianus IIII id. Mart. huius anni XXV annos ei daret, necessario concludendum est a. 647 (107) natum esse Pompeium illum censuisse. Sed totius huius argumentationis fundamentum satis incertum est.

Cn. Pompeius natus erat prid. Kal. Oct. anni 648 (106) (Vell. II, 53; Plin. h. n. XXXVII, 2, 13; Hieron. in Euseb. Chron. ed. Schoene II p. 131). Triumphavit ex Africa secundum Liv. per. 89: 'quattuor et viginti annos natus' i. e. vitae suae anno vicesimo quinto i. e. inde ab ultimo Sept. a. 672 usque ad ult. Sept. a. 673 (82—81). Quod si verum esset, triumphi dies, quem uni Granio debemus, esset IIII id. Mart. 673 (81). Secundum Eutrop. V, 9 Pompeius triumphavit 'quartum et vicesimum annum agens' i. e. a. 672 (82), at secundum Ps.-Aurel. Vict. de vir. ill. 77 'viginti sex annos natus' i. e. anno demum 675 (79). Plut. Pomp. 12 tradit eum ἄγοντα τέταρτον καὶ εἰκοστόν subegisse Africam, sed quot annos Pompeius habuerit triumphans adnotare supersedit. Multi viri docti (ut Fischer „Röm. Zeittafeln" p. 188 aliique) putant annum 673 (81) in Liv. per. traditum erui posse etiam ex actis triumphorum (C. I. L. I² p. 49), ubi post Sullae triumphum a. 673 de Mithradate actum alter triumphus erat allatus, cuius numerus tantum hodie legi potest. At Drumann („Gesch. Roms" IV p. 337) et Lange („Röm. Altert." III p. 169) triumphum in anno 674 (80), Mommsen (R. G. II p. 333) et post eum Henzen (C. I. L. I² p. 178) in a. 675 (79) posuerunt, non tam una ex

tot contrariis narrationibus confisi quam res in universum considerantes. Equidem me Drumanno adsentiri confiteor. Tum enim illustratur, id quod Plut. Pomp. 14 tradit, Pompeio inprimis obstitisse P. Servilium Vatiam, qui cum consul designatus anni 675 (79) esset, primus sententiam esse rogatus putandus est. Ad hanc autem sententiam optime quadrant Granii verba 'annos natus XXV triumphavit'.[1] — Sequuntur apud Licinianum p. 38 A 14 sqq. Murenae triumphus ex Asia et Valerii Flacci triumphus ex Celtiberia et Gallia actus, quorum annus non constat, praesertim cum Flacci triumphus alibi non commemoretur. Cum autem Lucullorum aedilitas, de qua proximo versu agitur, a. 675 (79) fuerit (Drumann IV p. 123), Linker omnes has res eodem anno actas esse putat quo Pompeii triumphum, anno 675 (79). Neque vero animadvertit illam lacunam, quae in actis triumphorum sub anno 673 (81) est, explendam esse idque, ut verisimillimum est, triumpho Murenae (Drumann IV p. 185 adn. 89 et C. I. L. I^2 p. 54 et 178). Accedit quod si Linkerum sequeremur, ex Granii verbis 'annos natus XXV triumphavit' accurate perceptis efficeretur, ut scriptor Pompeium anno *649* (105) natum esse censeret. Quodsi Licinianus Murenae triumphum anni 673 (81) post Pompei anno 674 (80) actum commemoravit, aut Pompei triumpho de ceteris eodem fere tempore actis admonitus esse aut ex novo aliquo fonte neglecta temporum ratione eos addidisse videtur.

Sed utut res se habet, hoc elucet, si omnia demonstrant Pompeium a. 674 (80) triumphavisse, coniecturae edd. Bonn., quam accipit etiam Francken (p. 248) nullum iam exstare fundamentum. Neque opus est Linkeri argumentum in medium proferre, qui ostendit etiamsi Licinianus triumphum anno 673 (81) vindicasset, tamen Pompeii triumphum anno aetatis XXVI

[1]) Livii epitomator et Eutropius, qui triumphantem Pompeium XXIV vel XXIII annos natum esse tradunt (nisi forte numeri in codicibus depravati sunt), in errorem ducti esse mihi videntur, quod XXIII annos natus Africam provinciam accepit. Iam Drumann (IV p. 331) suspicabatur bellum cum Domitio Ahenobarbo in Africa gerendum ei non Sicilia demum expugnata mandatum sed iam a principio (anno 672 [82]) ambas provincias ei datas esse.

actum non pugnare cum anno natali 648, quoniam scriptores Romani saepe annum nondum perfectum ut plenum numerent. Idem Linker mihi persuasit nullum epitomatorem, ut edd. Bonn. hic statuunt, voce 'solus' nomine non adiecto usum esse, ut scriptorem quem excerpebat significaret. Quomodo postremo haec epitomatoris additamenta, quae in rerum anno 648 (106) gestarum descriptione exspectamus, in insequentis anni res enarrandas penetraverint, etiam edd. Bonn. „sollertioris ingenii viris divinandum" relinquunt. Apparet igitur ipsos illos viros doctos suam coniecturam audacissimam non potuisse ad finem perducere.

Ergo aliud de hoc loco iudicium est faciendum.

Linker pro 'solus superreponit' exspectat 'filius Strabonis' vel 'salus reipublicae'. Sed haec coniectura parum congruit cum litteris traditis, quas hoc folio uterque Pertz testatur. Neque verisimile est verba tanti momenti in his paucis scripta fuisse. Videtur autem Linker totum enuntiatum, quod falso loco in textum irrepserit, ipsi Liciniano vindicare.

Propius ad verum accessit Madvig, cum de hoc loco statuit Licinianum scripsisse: 'Rutilius cos. collega Manili solus supere[rat] itaque cum metus etc.', verba autem 'hoc anno Cn. Pompeius natus est | atque Cicero' in margine apposita postea ab neglegenti librario in duas partes discissa et cum altero enuntiato mixta esse. Quod facile fieri posse intelligitur ex his:

RUTILIUS
COS.COLLEGAMANILI HOCANNOCNPOM
PEIUSNATUSEST
SOLUSSUPERERATITAQ. ADQ.CICERO
CUMMETUS etc.

Hoc autem assentiri non possum Madvigio verba ab ipso Liciniano in margine esse apposita, qui cum fons in fine prioris anni 648 (106) commemoraret eum esse Pompei et Ciceronis annum natalem, hanc adnotationem falso in initium anni 649 (105) transtulisset. Primum enim non verum est Granium initio anni 649 esse. Deinde nemo erit qui credat Liciniano pugna apud Arausionem commissa et quae hanc sequebantur rebus accuratissime narratis fortuito in mentem venisse pauca ex fonte suo hic addere, quae antecedenti anno iam facta erant.

Ac ne ita quidem hic temporum error explicari potest, ut eum ortum putemus inde quod Granius illud enuntiatum ex fonte secundario sumpsit; nam hic eum iam in a. 651 (103) deduxerat. Postremo iam commemoravimus Licinianum, cum Pompeium sextum et vicesimum annum agentem triumphavisse tradat, ut ceteros scriptores anno 648 (106) natum esse Pompeium narravisse.

Sequitur, ut verba in margine apposita posteriore manu addita esse putemus. Haec iam Bernays et Mommsen censuisse videntur; quamquam ex Pertzii verbis (praef. p. XVI adn. 2) colligendum est illos verba 'Rutilius cos. collega Manili' insiticia existimasse, sed Pertz fortasse non recte intellexit, quid illi voluerint.[1])

Madvigii autem coniectura 'solus supere[rat] itaque cum' num ad verum accedat, dubito. Praeferendum esse videtur, quod Hirschfeld mihi commendavit: 'solus sub[u]r[b]e po[s]it(us)'[2]), cum 'aeque' ab 'atque' non separandum vocabulum enuntiati in margine ascripti esse putet: eoque praeferendum, quod hoc supplemento litterae traditae accuratius servantur quam Madvigii coniectura, qua nonnullae litterae negleguntur.[3])

In ea parte, de qua nunc disserimus, Licinianum ad priorem fontem, fortasse Posidonium vel Strabonem, redisse iam supra admonuimus. Quae postea afferuntur, nova sunt:[4]) Rutilius, cum horror Cimbricus in omnes invasisset, iuniores iureiurando astringit, ne ex Italia excedant; praetera vetat homines minores XXXV annorum in navem recipi. Quae edicta, cur ad equites tantum, non ad omnes iuniores pertinuisse censeat Ihne (R. G. V p. 180 adn. 1), equidem non video: quod prius bello cum Hannibale gesto imperatum est, hic nihil probat.

His verbis fragmentum desinit.

---

[1]) Etiam edd. Bonn. p. 21 adnotant: 'hoc — Cicero 'glossema iudicarunt B. M.

[2]) Mommsen mecum communicavit: 'super rep(ublica) sollicitus.'

[3]) Hirschfeld Madvigii coniecturam inprimis refutat, quod antecedentia verba 'Cn. Manilius — eiectus' non Granii esse sed alia manu hic inserta esse censet.

[4]) Alia, quae Rutilius imperat, tradit Val. Max. II, 3, 2.

CAPUT III.

De bello civili Mariano.

Proximum de bello civili Mariano fragmentum, cum quattuor contineat paginas continuas (fol. VII et III, ed. Bonn. p. 22—28), ad indolem naturamque operis Liciniani dispiciendam simulque ad fontes eius investigandos maxime nos adiuvabit. Cum illa fragmenta, quae prioribus capitibus in examen vocavimus, adhuc plane fere neglecta sint, has, de quibus iam quaestionem sumus inituri, reliquias non praetermiserunt viri docti, qui de scriptoribus aetatis Sullanae egerunt veluti Klebs „de scriptoribus aetatis Sullanae“ (diss. Berol. 1876) p. 5 sq., Kiewiet de Jonge „de C. Mario et de scriptoribus, qui de eius temporibus egerunt“ (diss. Groning. 1881) p. 52 et 93 sqq., Bienkowski „de fontibus et auctoritate scriptorum historiae Sertorianae“ (Cracoviae 1890) p. 36 sqq. Ac tamen hi omnes mihi videntur a falsis principiis esse profecti, cum collectis aliquot locis, quibus Liciniani narratio cum Liviana congruit, discrepantiis neglectis praepropere statuant quae Licinianus referat fluxisse omnia ex Livio vel eius fonte. At equidem singula potius singillatim et minutatim comparanda rimandaque puto: nam ad certum iudicium tum demum perveniri poterit, cum omnia collegerimus unumque in conspectum redegerimus.

Sed haec antequam persequemur, breviter circumspiciendum erit, quinam scriptores Romani nobis servaverint belli Octaviani, ut cum Cicerone loquar, memoriam atque quae de eorum fontibus sententiae prolatae quaeque probandae sint.

Primo loco, si copiam rerum narratarum spectamus, commemorandus est A p p i a n u s. De fontibus, quibus App. in bell. civ. l. I usus est, virorum doctorum iudicia perdiu in partes abierunt diversas. Primus Niebuhr (Vorträge ed. Isler I p. 60, 254; R. G. II³ p. 61 adn.) contenderat Appianum in historia posteriorum temporum describenda ex Posidonio hausisse sicut antea ex Polybio; sed ut persaepe nihil addiderat, quo sententiam suam probaret. Idem crediderunt deinde Kiene „Der röm. Bundesgenossenkrieg“

(Lips. 1845) p. 318 et Wijnne „de fide et auctoritate Appiani" (Groningae 1855) p. 10 — hic autem praeter Posidonium etiam Livium libri I App. fontem existimat — sed argumenta ab illis allata erant nulla: uterque nisus erat auctoritate Niebuhrii.[1]) Contra Klebs in dissertatione sua totam Appiani narrationem rerum inde ab a. 666 usque ad mortem Sullae gestarum Livio deberi censuit. Atque etiam Kuyper „de fontibus Plutarchi et Appiani in vita Sullae enarranda" (diss. Rheno-Traiect. 1882) in 'bello civili' res a Sulla gestas secundum Livium traditas esse statuit exceptis paucis capitibus (72 sqq.), quibus Marii exitus describitur; cuius narrationis auctorem arbitrabatur Posidonium (cf. p. 54). Adversus hos rectissime, ut opinor, tum Franklin Arnold „Untersuchungen über Theophanes v. Mytilene u. Posidonius v. Apamea" in Fleckeis. ann. phil. suppl. XIII (1884) p. 100 sqq. demonstravit Appiani auctorem inter Graecos quaerendum esse atque longe plurima libri I (capp. 54—106) ex Posidonio fluxisse. Hanc sententiam G. Busolt „Quellenkritische Beiträge zur Gesch. d. röm. Revolutionszeit" in Fleckeis. ann. phil. CXLI (1890) p. 312 sqq. et 405 sqq. novis argumentis firmavit. Nonnullas quidem libri I particulas maximeque eas, quae ad historiam Livii Drusi atque belli socialis pertinent, non posse ad Posidonium redire, sed ex Livio esse derivatas Busolt, qui accuratam de toto libro I quaestionem habuit, atque iam antea E. Marcks „Die Überlieferung des Bundesgenossenkrieges" (diss. Argent. 1884) luculenter perspexerunt, sed ea capita, quibus bellum Octavianum describitur, certissime demonstratum est hausta esse ex Posidonio (cf. Arnold p. 105 sqq., Busolt p. 337 sq., 428 sqq.). Accedit, quod iam antea Otto in stud. Lips. suppl. XI (1889) reliquos Appiani bellorum civilium libros maxima ex parte atque librum, qui est de bellis Mithradaticis, totum e Strabonis hypomnematis manavisse simulque etiam Vogel „Quaestiones Plutarcheae" (diss. Marburg. 1889) ubicunque Appianus et Plutarchus eodem fonte graeco usi essent, hunc Strabonem fuisse ostenderat. Quamobrem facile quispiam possit conicere etiam in libro I per

---

[1]) Cf. Klebs l. c. p. 63.

Strabonem Posidonii narrationem Appiano datam esse[1]): nam Strabonis primarium fontem fuisse Posidonium inter omnes constat (cf. Otto p. 223). Sed Appianus utrum hunc ipsum excerpserit an per Strabonem subministratum, nunc in dubio relinquendum videtur, cum ad nostram quaestionem diiudicandam minimi momenti sit. Hoc autem semper tenendum erit iis partibus Appiani, quae ad nostram rem pertinent, subesse Posidonium[2]), etiamsi in illam Klebsii sententiam iam diu refutatam et abiectam rursus rediit Bienkowski l. c. p. 4 et 37 plane neglectis recentioribus Arnoldi et Ottonis disputatiunculis.

Alter inter scriptores, qui res a. 667 (87) gestas tradiderunt, auctor nobis occurrit Plutarchus in vita Marii. Plutarchi fontes explorare multo difficilius esse quam Appiani iam pridem viri docti animadverterunt. Nam cum hic paene semper unum scriptorem sine proprio iudicio excerpserit, ille complures simul adiit auctores eorumque narrationem saepe contexuit. Sic etiam in vita Marii Posidonium simulque Livium secutus est, praeterea subsidiarios adhibuit commentarios Sullae. Illos Plutarchi fontes esse in universum iam recte intellexerat Peter „Die Quellen Plutarchs in den Biographien der Römer" (Halis 1865) p. 100 sqq., in singulis autem quibusdam rebus corrigendus erat ab Busoltio l. c. p. 336 sq. et saepius. Idem evidenter demonstrat Plutarchum

---

[1]) Quod etiam coniecit, ut Otto p. 284 adnotat, B. Niese in Herm. XXIII (1888) p. 413 adn. 2 comparans Appiani c. 7 sq. et Plutarchi Tib. Gracch. c. 8.

[2]) Hoc ne E. Schwartz quidem, cuius de Appiano disputatio (in Pauly, Realenc. II[2] p. 216 sqq.) modo in lucem prodiit, negare audet (cf. p. 222 med.), quamquam illam sententiam Appianum ex Posidonio vel Strabone ipso hausisse vehementer impugnat. Immo latinum aliquem scriptorem, qui Posidonium Livium aliosque contaminaverit, censet ab Appiano excerptum esse. Minime autem mihi persuasit. Satis est hoc unum afferre: Ex eo, quod Appianus et Plutarchus non solum in rebus, sed etiam in ipsis vocabulis saepe mirum in modum conspirant, necessario mea quidem sententia concludendum est ab illis adhibitum esse eundem auctorem Graecum. Atque accedunt aliae res, quibus ad Graecum scriptorem adducimur.

in fuga Marii enarranda cc. 38 et 39, quae aliqua ex parte infra in censum venient, Livii et Posidonii narrationem contaminasse; sed cap. 41 sqq., quae belli Octaviani memoriam continent, redeunt ad eundem fontem atque Appianus, ad solum Posidonium (cf. Peter p. 103; Busolt p. 428); Livium in hac parte Plutarcho iam non ante oculos fuisse infra novo argumento evincam.

Tertio loco memorandus est Livius. Cum eius libri, qui ad aetatem a nobis tractatam pertinebant, ad nos non pervenerint, refugiendum est ad exiguas periochas (79, 80) Liviique epitomatores. Dico primum Orosium, qui omnium accuratissime illas res exposuit (V, 19), deinde (ut omittam eos, qui de bello Octaviano nihil tradiderunt) Valerium Maximum, Florum, Eutropium, Julium Obsequentem, Augustinum, quos omnes ex Livio vel epitome quadam Liviana hausisse inter omnes constat.[1] Horum numero nunc sine ulla dubitatione ascribere possumus etiam Velleium Paterculum (II, 20 sq.), cui in libro II Livium (equidem potius velim epitomen Livianam) longe plurimam materiam praebuisse nuperrime Burmeister „de fontibus Vellei P." (Berol. 1894) nos docuit (cf. p. 50 sqq.). Quos autem Livius in Mariano bello civili habuerit auctores, difficillimum est enucleare. Id quidem nunquam refelli potest, quod Busolt satis multis locis maxime planum fecit, Livium in intestinis rebus Italicis enarrandis non pendere ex Posidonio, cum in extera huius temporis historia describenda certe illo usus sit. Deinde Sullae commentarios Livium hic atque illic legisse verisimile est (cf. Busolt p. 426). In iudicio de Pompeio Strabone facto eum fortasse Rutilium Rufum secutum esse infra cognoscemus. Quos autem alios scriptores (Claudium Quadrigarium vel Valerium Antiatem?) inspexerit, plane ignoramus; hoc tantum constat Livii auctores optimatibus favisse.

Accedunt denique ad historiam a. 667 restituendam nonnulla Cassii Dionis fragmenta (fr. 100, 1—11 Melber), quorum non amplius duo ad res a Liciniano traditas spectant; Diodori autem quattuor fragmenta, quae ad bellum Octavianum pertinent, referenda

---

[1]) Quae de hac re scripta sint, accurate collecta invenies apud Maurenbrecherum, proll. ad Sall. Hist. Reliquias p. 10 sqq.

sunt ad res extremi anni 667 in Liciniani narratione non iam servatas.

Hanc memoriam parcissimam videbimus valde auctam esse a Liciniano. Quibus praemissis ad ipsum propositum transgrediamur.

Initium fragmenti[1]) est de rebus illis, quae etiam in Liv. per. 79 attinguntur his verbis: 'L. Cornelius Cinna cos. . . . pulsus urbe ab Cn. Octavio collega cum sex tribunis plebis'. Antea apud Granium necessario narratum erat proelium in viis urbis inter consules commissum.[2]) Cinna, qui Octavianis cesserat, a senatu magistratu privatus est (Liv. per. 79, Vell. II, 20, 3, App. I, 65), si Appiano credimus, quod in periculo urbem reliquisset servisque libertatem promisisset. Qua re procul dubio leges reipublicae laesae erant. Quod ut honesta praescriptione tegeretur, fortasse consilium illud divinum, quod a solo Granio[3]) commemoratur, feliciter in libris Sibyllinis exquisitum vel fictum est. Sed Granium dissentire ab Appiano, cum ille Cinnam ex vaticinio illo tradat magistratu remotum esse, non ea de causa, quam afferat Appianus, falso Neumannium statuere puto. Nam ex verbis Liciniani 'placuit et' concludendum potius est iam antea legum violationem factam

---

[1]) Quid de primis verbis 'ipsum facere nisi quod illa evasisset' censendum sit, nescio neque quidquam certi puto inveniri posse. Divinavit magis quam textum restituit Francken p. 241, qui supplet: '[Censet senatus non videri quicquam contra R.] P.[e]um (i. e. Octavium) facere nisi quod illae[sum mi]sisset (sc. Cinnam)'.

[2]) Mommsen, R. G. II p. 306 sqq., Neumann, Gesch. R. I p. 547 sqq.

[3]) Neumann censet etiam Ciceroni de div. I, 2, 4 has res in animo esse, cum vituperet 'saepe hariolorum etiam et vatum furibundas praedictiones, ut Octaviano bello Cornelii Culleoli, audiendas' putari. Quod si statuimus, intellegi non potest, quid sibi velit nomen unius Cornelii Culleoli, cum constet Sibyllinorum librorum oracula nuntiata esse a decemviris. Ergo verba Ciceroniana nego coniungenda esse cum verbis Granianis. Alia quoque prodigia bello Octaviano nuntiata, quibus interpretes non defuerint, Cic. l. c. in animo habuisse potest. Idem enim de nat. d. II, 5, 14 loquitur de 'stellis eis, quas Graeci cometas, nostri cincinnatas vocant, quae nuper bello Octaviano magnarum fuerunt calamitatum praenuntiae'.

esse, quam ad comprobandam tum (postea) oraculum sit excogitatum. Qua cum explicatione convenit, quod Cinnam consulatu remotum et ex urbe expulsum esse non hic narratur, sed iam antea has res commemoratas fuisse censendum est.[1])

Omittamus ad tempus sequentem particulam (p. 22 A 10—20), quae continet auspicium Mario 'superiore casu' i. e. Minturnis oblatum, quod hoc loco perpetuitatem narrationis interrumpit, atque statim aggrediamur ad res historicas.

De reditu Marii optime convenit inter Licinianum et Plutarchum Appianumque. Compares velim haec:

Lic.	Plut. c. 41.
Is ergo cum mille circiter Num[id]is collectis ad Cin-	καὶ παραλαβὼν ἐκ τῆς Λιβύης Μαυρουσίων τινὰς ἱππότας

[1]) Antiquitati studuisse Licinianum testantur verba 'quod nunquam alias', quibus confirmatur nunquam antea Sibyllinorum oraculorum verba a senatu promulgata esse. Quae cur Diels („Sibyll. Blätter" p. 17 adn.) non ad verbum interpretanda esse censeat, non intellego. Demonstravit quidem complurium Sibyllinorum oraculorum verba, quae occultanda erant (cf. Diels p. 6), iam pridem in annales irrepsisse neque quisquam infitiari audebit post splendidissimam Dielsii argumentationem oraculum a Phlegonte (Mirab. c. 10) ad annum 629 (125) traditum genuinum esse. At senatum illo anno oraculum promulgasse neque potest demonstrari neque verisimile est, cum Licinianus clarissime dicat hoc primum anno 667 (87) factum esse. Diels ipse (p. 7 et 20) concedit aliter quoque singula oracula Sibyllina describi potuisse: Per decemvirum quendam imprudentem etiam oraculum illud anni 629 (125) putandum est in fontem Phlegontis, quem Diels suspicatur fuisse Posidonium, vel ad eius auctorem pervenisse. Quodsi Cassius Dio XXXIX, 15, 2 (de quo loco cf. Diels p. 16 adn. 4 et C. Alexandre „Orac. Sibyllina" II, Paris 1856, p. 214 sq.) in enarrando illo oraculo de Aegyptio rege cum copiis non reducendo, quod a. 698 (56) C. Cato trib. pl. decemviros in contione palam edicere ante senatus sententiam coegit, testatur ex senatus consulto Sibyllina carmina licuisse nuntiare, tamen puto hoc facile coniungi posse cum Liciniani verbis. Fieri enim potest, ut hic mos, quem Dio commemorat, inde demum ab a. 667 (87) ortus sit.

nam navi pervenit [Te]l[amonem].[1])	καὶ τῶν ἀπὸ τῆς Ἰταλίας τινὰς καταφερομένων, συναμφοτέρους οὐ πλείονας χιλίων γενομένους, μεθ' ὧν ἀνήχθη, προσβαλὼν Τελαμῶνι τῆς Τυρρηνίας κτλ.

Appianum, cum dicat c. 67: Γάιος δὲ Μάριος . . . . ἐς Τυρρηνίαν κατέπλευσεν ἅμα τοῖς συνεξελαθεῖσι καὶ θεράπουσιν αὐτῶν ἐπελθοῦσιν ἀπὸ Ῥώμης, ἐς πεντακοσίους μάλιστά που γεγονόσιν, volunt Neumann, Busolt, alii dissentire ab illis; sed cum verba Appiani non referenda sint nisi ad fugitivos, haec differentia mihi videtur esse nulla. Solum apud Licinianum inter exules cum Mario in Italiam reversos nominatur Brutus, M. Junius scilicet, quem a Sulla a. 666 (88) proscriptum (App. b. c. I, 60) in Hispaniam tum secessisse hinc discimus.

Proximis Granii verbis de Marii habitu aspectuque taetro edocemur; atque etiam hanc partem pervalde concinere cum Appiani quem attulimus loco evincitur verbis auctorum:

Lic.	App.
Et [c]um de[for]mis habitu et cultu [ab is] videretur, qui eum [flo]rentem victori[i]s no[rant] supplicemque se omni[bus] quasi oppressus ab in[i]micis commendaret, [mox] legionem voluntar[iorum] conscripsit Cinnaeque [tradi]dit milites.	ῥυπῶν δ' ἔτι καὶ κόμης ἔμπλεως ἐπῄει τὰς πόλεις, οἰκτρὸς ὀφθῆναι· μάχας τε καὶ τρόπαια αὑτοῦ Κιμβρικὰ καὶ ἐξ ὑπατείας ὑπερεπαίρων . . . συνήγαγε Τυρρηνῶν ἑξακισχιλίους, καὶ ἐς Κίνναν διῆλθεν κτλ.[2])

Qua in re etiam animadvertendum est apud utrumque scriptorem ordinem rerum prorsus esse eundem, cum et apud Lic. et apud App. Marii habitus describatur, ubi primum eum navem appulisse narratum est. Atque apparet vel hic Licinianum non aliter atque Appianum et Plutarchum[3]) ex fonte hausisse Mario infenso.

---

[1]) 'Telamonem' rest. Pertz.

[2]) Quod apud Plut. l. c. uberius scriptum videmus, ab eo ipso pro sua rhetorica indole amplificatum et exornatum esse videtur.

[3]) Arnold p. 111.

Pergamus iam ad ea, quae Licinianus tradit de numero et nominibus ducum Marianorum, qui urbem aggressi sunt. Etiamsi emendationes edd. Bonn. non semper probabiles mihi videntur, tamen illud pro certo affirmare licet eum quinque duces nominavisse, Marium, Cinnam, Sertorium, Carbonem, Milonium.[1]) Itaque prima specie neque cum Appiano neque cum Livio consentit: App. enim refert tres duces, Cinnam, Sertorium, Marium exercitum inter se esse partitos, Carbonem vero non imperatorem, sed legatum Cinnae fuisse putat.[2]) Livius autem (per. 79, Florus II, 9, 13, Oros. V, 19, 9) copias in quattuor partes inter Cinnam, Marium, Carbonem, Sertorium divisas esse testatur. Quae omnia non necessario inter se repugnare sed potius coagmentari posse Bienkowski (l. c. p. 41) non sine probabilitate quadam docuit. Ac primum quidem Milonium, quem Lic. solus affert, non imperatorem, sed Marii vel Cinnae legatum fuisse inde concludit, quod Marius Janiculo postea potitus Cinnam immisit, ut legimus apud App. c. 68, in pugna vero, quae ibi commissa erat, Milonius occiditur teste Lic. (p. 24 A 16 sq.) Quamobrem verisimile est Milonium Cinnae vel Marii legatum una cum Cinna in urbem ingressum esse. Deinde ille statuit Appianum[3]) tres tantum copiarum partes memorasse, quod urbs secundum eum re vera tribus locis oppugnata sit: in dextra Tiberis ripa Cinna[4]), cuius auspiciis Carbo rem

---

[1]) C. Milonium senatorem cum Sertorio et C. Mario altero ad Cinnam fugisse tradit App. c. 65: alibi non occurrit. — Falso Ihne (R. G. V p. 355) eum principem vocat optimatium.

[2]) App. c. 67: ὡς δὲ ἀνεμίχθησαν ἐστρατοπέδευον ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ τοῦ Τιβέριος, ἐς τρία διαιρεθέντες, Κίννας μὲν καὶ Κάρβων σὺν αὐτῷ τῆς πόλεως ἀντικρύ, Σερτώριος δὲ ὑπὲρ τὴν πόλιν ἄνω, καὶ Μάριος πρὸς τῇ θαλάσσῃ.

[3]) Item Plut. Sert. 5, 3: Οὕτως μεταπέμπεται τὸν Μάριον Κίννας καὶ τριχῇ τῆς δυνάμεως διανεμηθείσης ἦρχον οἱ τρεῖς.

[4]) App. c. 67 initio (ὁ δὲ [sc. Γναῖός τε Πομπήιος] ἦλθε, καὶ πρὸς ταῖς Κολλίναις πύλαις ἐστρατοπέδευσε καὶ ὁ Κίννας ἐπελθὼν αὐτῷ παρεστρατοπέδευεν) narrat Cinnam in sinistra Tiberis ripa adversus Pompeium castra posuisse. Sed si respicimus quae sub finem capitis occurrunt verba τῆς πόλεως ἀντικρύ (cf. adn. 2) coniunctis verbis ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ Τιβέριος, apparet

gessit, in sinistra ripa Sertorius, mare versus Marius castra habuit. Sed fieri quoque potest, ut in Liviana memoria Carbo falso ceteris ducibus exaequetur, Appianus vero, cui assentitur Plutarchus, verum praebeat. Sed utut res se habet, manifestum est Granium inter imperatores et legatos eorum discrimen non servasse. Ita simpliciter explicatur eum quinque duces nominavisse, atque cognoscimus differentiam inter Licinianum et alios scriptores hoc loco statuendam non esse.

Subsequuntur nonnulla verba, quibus inconstantiae Pompei Strabonis mentio fit. Eandem etiam Liv. per. 79, Oros. V, 19, 10, Jul. Obs. 56, Vell. 21, 1. 2 — atque omnes multo maiore cum convicio quam Granius — testantur, Appianus autem et Plutarchus omnia, quae Pompeio obsunt, plane omittunt. Sed ad haec nobis infra pluribus redeundum est.

Quae deinceps de Ostiae expugnatione cognoscimus, nostrae quaestioni magnam vim habere censeo. Nam verba Liciniani, ut tantummodo certa afferam 'Ostia urbe potitur (sc. Marius) [per][1] Valerium,[2] cuius equ[ite]s praesidebant' prorsus dissentiunt, id quod nemo adhuc observasse videtur,[3] ab Liviana

---

eum contra urbem i. e. trans Tiberim, in dextra fluminis ripa, sub Janiculo constitisse. Quocum concinit postea Sertorium cum Pompeio proelium facere, Cinnam et Marium Janiculum oppugnare. Itaque Jordan („Topogr.“ I, 1 p. 243 adn.) non recte mihi videtur dubitare, utrum verba τῆς πόλεως ἀντικρύ significent „ad portam Collinam“ an „trans Tiberim“. Cum autem nihil sit, unde Appianum concludamus duos fontes exscripsisse, verisimile est priore loco neglegentiam scriptoris statuendam esse. Lic. autem, qui et ipse Sertorium cum Pompeio facit pugnantem, veram exercituum dispositionem, quam posteriore loco affert Appianus, videtur invenisse in fonte.

[1]) Supplementum 'per' certissimum esse mihi videtur. Nam etiam in reliquorum huius columnae versuum initio tres desiderantur litterae. Aliam autem vocem trium litterarum accusativo 'Valerium' aptam inveniri posse nego.

[2]) Hunc esse insequentis anni cons. suffectum L. Valerium Flaccum, quod Pertz coniecit, plane incertum est.

[3]) Falso adnotant Klebs p. 13 et Kuyper 51: de Ostia a Mario per proditionem capta inter se congruere Plut., Liv., Lic.

memoria: conferas Oros. V, 19, 17: 'Igitur Marius coloniam vi ingressus omnia ibi genera libidinis, avaritiae et crudelitatis exercuit' et verba, quae in periocha exstant: 'Ostiam coloniam M. expugnavit et crudeliter diripuit'. Cum enim verbum, „expugnare" proprie sit „pugnando capere", ex utroque loco efficitur Marium Livio auctore per vim irruptionem in oppidum fecisse, minime autem, ut Granius refert, Ostia potitum esse per proditionem. Hoc discrimen tantum esse puto, ut Livium Liciniani auctorem non fuisse manifestum sit. Granius hoc quoque loco comprobat potius et supplet ea, quae apud Plut. c. 42 exhibentur: Τέλος δὲ τὴν 'Ωστίαν αὐτὴν λαβὼν ἐκ προδοσίας κτλ.[1]) Appianus in universum tantum dicit Ὄστια εἷλε καὶ διήρπαζε, quam expugnationem observandum est etiam apud eum sequi exercitus distributionem.

Iam Licinianus redit ad Pompeium: 'Nec [Po]mpeius a Sertorio bel[lum a]bstinuit, sed palam pug[na]vit'. Idem proelium Oros. V, 19, 10 sine dubio in animo habet, cum Strabonem 'contemptum a Mario vel Cinna ad Octavium alterum consulem sese contulisse et mox cum Sertorio conflixisse' dicit. Quam pugnam tum accuratius describit et narrat hoc loco fabulam illam de milite Pompeiano, qui fratrem ipse occidit. In Livii periocha pugna non commemorata est, tamen exstat narratiuncula illa, qua de fratribus agitur, atque eodem loco quo apud Orosium: ante expugnationem Ostiae, quae apud Lic. praemittitur. Ex hoc quoque inverso ordine fortasse effici potest Licinianum non ex Livio hausisse, quamquam hoc incertum esse concedo. Quod autem Vell. II, 21, 3 tradit illud proelium inter Pompeium et Cinnam commissum esse, hunc errorem eius incuriae et festinationi tribuemus. Nam exercitus p. 53 adn. 4 demonstravimus ita dispositos fuisse, ut pugna non posset iniri nisi inter Pompeium et Sertorium. Appianus et Plutarchus denique hanc rem plane praetermittunt.

Paucis deinde de legatis, qui post illud proelium ultro citroque

---

[1]) Mirum est quomodo viros doctos adhuc effugerit haec inter Plutarchum et Livium discrepantia, qua comprobatur c. 42 Plutarchum iam non redire ad Livium.

frustra missi sunt, narratis[1]) Licinianus transit ad uberius describendam oppugnationem Janiculi. Accedit ad supplendam narrationem hoc quoque loco Appianus c. 68,[2]) apud quem legimus Janiculum a Marianis proditione captum esse: Appium Claudium enim trib. militum,[3]) qui Janiculo praeerat, ut Mario beneficii nescio cuius gratiam referret, ei portas aperuisse; Marium tum etiam Cinnam cum exercitu in urbem recepisse. Hanc proditionis narrationem desideramus apud Granium, qui ceteroquin hic fere non praebet nisi nova. Tradit enim Octavium cum contra hostes, qui in Janiculum irruperant, contendere vellet, a Pompeio auxilia sex cohortium accepisse, id quod propius illustrare potest verba Appiani Ὀκταβίου καὶ Πομπηίου ἐπιδραμόντων. In pugna, quae ibi exarsit, Granio auctore 'Mi[l]o[ni]us occiditur, ceteri su[bmov]ent[ur], quos [s]ubsidio Mi[lo]nio Sertorius miserat. [Cecid]erunt Octaviani [sex][4]) milia et senator unus [Aeb]utius, adversariorum [se]ptem milia'. Eodem die Janiculum recuperatum est ab Octavianis,[5])

[1]) Hic erravit Bienkowski p. 41, qui dicit: „de foedere, quod utraque pars inire voluit, praeter Lic. Orosius quoque egit". Apud Orosium enim talia non occurrunt. — Francken autem p. 242 ad suum arbitrium agit, cum apud Granium de clandestinis Pompei ad Cinnam cogitet legationibus. — Eae denique legationes, de quibus App. 1, 69 et 70, Plut. Mar. 43 (etiam Diod. XXXVIII fr. 1) dicant, non cum Pertzio hic respiciendae sunt, cum et posterioris temporis sint et a Lic. quoque posteriore loco (p. 28 B) commemorentur.

[2]) App. c. 68 (med.): Κλαύδιον δὲ Ἄππιον χιλίαρχον, τειχοφυλακοῦντα τῆς Ῥώμης τὸν λόφον τὸν καλούμενον Ἰάνουκλον, εὖ ποτὲ παθόντα ὑφ' ἑαυτοῦ τῆς εὐεργεσίας ἀναμνήσας ὁ Μάριος ἐς τὴν πόλιν ἐσῆλθεν, ὑπανοιχθείσης αὐτῷ πύλης περὶ ἕω, καὶ τὸν Κίνναν ἐσεδέξατο, ἀλλ' οὗτοι μὲν αὐτίκα ἐξεώσθησαν Ὀκταβίου καὶ Πομπηίου ἐπιδραμόντων. — Plut. c. 42 tantummodo rem breviter commemorat: πρὸς τὴν πόλιν ἐχώρει καὶ τὸ καλούμενον Ἰανοῦκλον ὄρος κατέσχεν.

[3]) De quo cf. Drumann II p. 182, 30.

[4]) In supplendo hoc numero, qui in textu excidit, Pertz prorsus falso nititur loco Orosiano (V, 19, 11), qui referendus est ad proelium inter Sertorium et Pompeium ad portam Collinam commissum, de quo iam supra diximus. Itaque numerus minime certus est

[5]) Quod edd. Bonn. hoc loco restituunt ('potuit capi [Ja]niculum eodem die, [nisi] Pompeius ultra Octavium progredi passus non

qui certo omni modo victoriam exercuissent, nisi Pompeius id impedivisset. Is enim Octavium impulit, ut Crassum,[1]) qui Marium insequens extra urbem prorupisse videtur, a persequendis hostibus revocaret.

Tum ut intelligamus, cur Pompeius hoc bello civili ambigue se gesserit — id quod ex ceteris fontibus colligi non potest — additur praeclarum illud de eo iudicium. 'Frustratus spe continuandi consulatus' (Vell. II, 21, 2) i. e. consulatus anni 667 (87) recuperandi nunc arbitrabatur adesse occasionem consilia sua perficiendi, si senatui non salutem ferret nisi pretio consulatus. Qua de causa ultimam dimicationem detrectavit, antequam comitia consularia conficerentur.[2])

Quod porro comperimus Metellum a senatus legatis rogatum esse, ut patriae subveniret, etiam ab App. c. 68 et Cassio Dione fr. 100, 6 et 7 commemoratur,[3]) sed legatorum nomina[4]) soli Liciniano debemus.

---

fuisset — et ut Crassum revocaret impulit') certe reiciendum est non solum propter praecedentia verba ('ceteri submoventur etc.'), quae nullum sensum praebent nisi re vera mons Ianiculus rursus ab Octavio oppugnatus est, sed etiam quod ab Appiano et Liv. per. 80 ('Cinna et Marius . . . . . Jan. oppugnaverunt et fugati ab Octavio consule recesserunt') edocemur Marianos ex Ianiculo eiectos esse. Ex codicis autem scriptura (p. 24 B 2—3) FUISSETETUT restituendum 'fui[t] set ut', alterum 'et' pro dittographia habendum esse puto.

[1]) Est P. Licinius Crassus Dives Lusitanicus (de quo cf. Drumann IV p. 70, 32, Otto Strab. fr. p. 57 adn.) aut eius filius (de quo Drumann l. c. 34).

[2]) Non video cur edd. Bonn. dubitent, num Licinianus p. 24 B 8 scripserit 'qui[a] timebat urnam'. Haud enim raro rerum scriptorum verba habent colorem poeticum; cf. p. 38 B 22: 'usus est pugionis auxilio'. — Hirschfeld proponit: '[d]u[m] timebatur; nam etc.'

[3]) Hi simul tradunt — id quod apud Granium hoc loco deest — quae inter Metellum et Samnites acta sint.

[4]) De quibus cf. Pertzii adn. p. 37. — Recte, ut opinor, Keil p. 642 pro SENEX, quod codex B 12 habet, SENAT' (= senatus) coniecit, cum Antonius, si quidem is fuit M. Antonius orator, eo tempore LVI annos numeraret vixque senex appellari posset.

Liceat nobis eorum, quae adhuc uberius exposuimus, summam facere. Quamquam siccitas et tenuitas sermonis Liciniani in hac quoque parte narrationis nobis occurrit, tamen nemo erit, quin concedat, quod iam Mommsen (R. G. II p. 398 adn.) monuit, ordinem et nexum rerum, quae subiunguntur, optimum esse maximeque perspicuum. Ut vidimus, narratio Liciniani res et apud Livium et apud Appianum Plutarchumque traditas continet, ita ut fontes primarios praeclare suppleat; praeterea plurima servavit, quae sine eo plane ignoraremus, ac de rebus memoriae dignis paucae tantum desunt. Sed uno loco exploratum habemus Granium a Livio discrepare, quo novo argumento Madvigii sententia refellitur. Atque accedent aliae res, quibus Licinianum in hac parte non redire ad Livium comprobetur. Iam quae ex comparatione Granii cum Appiano et Plutarcho sequuntur, tria potissimum sunt:

1. Primum quamquam modo ille modo hi singulas res accuratius enarrant, tamen Licinianus tantum abest, ut illis unquam repugnet, ut eos supplere vel ab iis suppleri videatur.

2. Deinde nonnullis locis ineuntis narrationis etiam consensus vel certe similitudo verborum deprehenditur.

3. Denique tota rerum continuatio ac series apud omnes hos scriptores una eademque est. Nam quod apud App. expugnatio Janiculi post commemorationem Metelli narratur, quae apud Lic. praemittitur, res est prorsus levidensis.

Itaque facile colligemus communem horum auctorum narrationi subesse fontem atque cum Appianus Plutarchusque ex Posidonio hauserint, idem statuemus de Liciniano. Huic conclusioni non repugnat, quod Licinianus nonnunquam plus tradit quam Appianus et Plutarchus. Nam illum constat fontes suos valde contraxisse atque mutilavisse,[1]) hunc vero consentaneum est ea tantum afferre, quae ad vitam hominum spectant. At una res coniecturae nostrae vehementer obstat: tota narratione Appianus — Plutarchus non iudicium fert de Strabonis rebus gestis — maxime Pompeio favet atque silentio obtegit eum primo inter factiones fluctuasse, qua de re accuratius agit Arnold p. 110 sqq. Atque cum artissima

---

[1]) Nissen „Krit. Unters.“ p. 115.

necessitudinis vincula essent inter Posidonium et Pompeium Magnum, recte Arnold coniecisse mihi videtur illum Pompei Strabonis dignitatem defendisse ac propugnasse, praesertim cum necessarium esset Rutilium Rufum propulsare, qui scriptis maxime divulgatis Pompeium Strabonem ut hominem pravissimis moribus depinxerat (Rutil. fr. 5 Müller F. H. Gr. III p. 200). Itaque non dubitamus, quin etiam proelium illud inter Pompeium et Sertorium commissum maximeque idoneum, quo ille purgaretur, a Posidonio traditum et ab Appiano demum neglegentia omissum fuerit. Vix autem cogitari potest indicia tam aperta, qualia Licinianus de Pompeio facit, fuisse iam apud Posidonium neque verisimile est ea ex alio fonte ab Liciniano ipso in memoriam Posidonii inserta esse, cum artissime cum tota narratione cohaereant, atque Granius non facile ita fontibus usus sit.

Ergo conicimus eum non ex ipso Posidonio hausisse, sed ex fonte, qui redit ad illum, fortasse ex Strabonis hypomnematis. Strabonem quamquam praecipue Posidonio nitebatur, in Pompei rebus describendis hoc uno non integro auctore contentum fuisse vix credi potest. Solebat potius hic scriptor summa diligentia undique materiam colligere.[1]) Quo quidem ex fonte hoc loco Posidonium suppleverit, nescimus: hoc tantum apparet eum sine ira et studio res a Pompeio gestas narrasse. Quodsi res ita se habet, Appianum putandum est ipso Posidonio usum esse. Per Strabonem illum redire ad Posidonium de primo libro adhuc nondum demonstratum est,[2]) atque etiamsi nonnullis locis demonstraretur, tamen cogitari posset Appianum nonnunquam, ut hoc loco, ipsum Posidonii librum inspexisse.

---

[1]) Otto p. 215 et saepius.

[2]) Parum accurate dicit Maurenbrecher l. c. p 9: „recte Arnoldium ac Vogelium docuisse arbitror, Posidonii aliorumque scriptorum memoriam usque ad I c. 106 Appiano per Strabonem praebitam esse“. Strabonem belli civ. I fontem esse Arnold omnino non contendit (sed in Mithradatis tantum rebus gestis enarrandis), et Vogelii quaestiones inprimis pertinent ad ceteros libros belli civ., libri primi paucos tantum post c. 80 locos in examen vocat.

Pro certo, cum reliquiae tam parvae sint, hoc affirmare non licet. Sed consideranti, quomodo Liciniani, Appiani, Plutarchi consensus explicandus sit, spero meam sententiam veri non dissimilem fore.

Si supra confidenter dixi Licinianam belli civilis narrationem, quam adhuc tractavimus, propter eximium ordinem et nexum rerum plurimi aestimandam esse, tamen quicunque paulo diligentius animum attenderit, facile cognoscet illud iudicium ad ea quae sequuntur iam non pertinere. Perscrutemur igitur singula.

Ac primum quidem invenimus fabulam illam, qua frater a fratre in pugna quae fuit inter Pompeium et Sertorium occisus esse narratur. Eandem historiolam praebent Liv. per. 79, Oros. V, 19, 12. 13, Val. Max. V, 5, 4, August. de civ. dei II, 25, 5, Tac. Hist. III, 51. Orosius hanc rem in describendo proelio inter Pompeium et Sertorium ad portam Collinam commisso tradit; atque etiam in periocha ut iam supra commemoravi, exstat fabula eodem loco atque apud Oros.; at neque hic neque apud ceteros Livii epitomatores cum certo proelio coniuncta est. Quod autem in periocha scriptum videmus alterum fratrem Cinnae militem, non Sertorii fuisse, hoc certe neglegentiae epitomatoris attribuendum erit. In hac quidem re Bienkowskium probo, sed aliter atque ille iudico de Taciti (Hist. III, 51) verbis: 'Nam proelio, quo apud Janiculum adversus Cinnam pugnatum est, Pompeianus miles[1]) fratrem suum, dein cognito facinore se ipse interfecit, ut Sisenna memorat'. Quibus ex verbis elucet Sisennam illam fabulam adiunxisse expugnationi Janiculi, quae cum pugna inter Pompeium et Sertorium facta minime cohaeret. Itaque neque Bienkowskio assentior Sisennam Livio ad manus fuisse neque Pertzio (praef. p. XX), qui Licinianum ex illo hausisse putat. — Sed Granium, qui multo ante (col. A 4 sq.) illud proelium ad portam Collinam commissum commemoraverat, nonne mirum est iam, postquam narrationem longe provexerit, denuo verba facere de 'bello

[1]) 'Pompeianus miles' ampliore sententia significare arbitror militem eius factionis, cuius princeps haberi poterat Pompeius, vel unum ex sex cohortibus, quas Pompeius Octavio secundum Lic. ad Janiculum oppugnandum tradidit.

quod inter P. et S. fuit' atque hoc demum loco illam de fratribus historiolam inserere? Dixerit quispiam, fortasse saepius rem inter Pompeium et Sertorium ad arma venisse atque Granium hic alterum proelium in animo habere. Sed si hoc verum esset, nemo negabit nos exspectaturos esse certius aliquid addi ad verba 'bello quod — fuit' generaliter dicta, quo magis propria fiant. Itaque equidem malim concludere Granium hoc loco alterum fontem inspexisse, ex quo quamquam de pugna ipsa fontem primarium secutus iam antea tradiderat, illam fabulam sumpsit neque vero loco idoneo inseruit. Quisnam novus auctor fuerit si quaerimus, apparet de Livio cogitandum esse, cum Licinianus mirum in modum aliqua ex parte vel ad verbum cum memoria Liviana consentiat. Satis est inter se comparare haec:

Lic.	Liv. per.
Bello quod inter Pompeium et Sertorium fuit, ignobilis quidam miles Pompei dum spoliat hostem fratrem adgnovit; extructo rogo dum iusta persolvit multa inprecatus gladio se traiecit etc.	in quo bello duo fratres, alter ex Pompei exercitu, alter ex Cinnae ignorantes concurrerunt, et cum victor spoliaret occisum, agnito fratre ingenti lamentatione edita, rogo ei extructo, ipse se supra rogum transfodit et eodem igne consumptus est. (Accedunt Oros. et Val. Max. l. c.).

Quodsi hic supplementum cognoscimus ex Livio sumptum, rursus argumentum habemus, quo in priore parte Livium non esse fontem confirmetur.

Deinde pauca comperimus, quae alibi non traduntur: 'Nolani progress[i] oppidum Abellam incenderunt. Marius Servilium apud Ariminum fugat, paucos occidit, reliquos quos corruperat,[1]) accipit in deditionem'. Cum ultimis verbis non coniungendum esse mihi

[1]) Non est, quod cum edd. Bonn. mutemus: 'corrup[u]erat'. Nam „corrumpere aliquem" significat illum ad suam sententiam perducere. Atque hac notione etiam absolute usurpatur: cf. Plaut. Most. 1, 1, 20 aliosque.

videtur, ut Mommsen (R. G. II p. 310) vult, quod App. c. 67 (fin.) habet: Κίννας ἐπιπέμψας Ἀρίμινον κατέλαβε, τοῦ μή τινα στρατιὰν ἐς τὴν πόλιν ἐπελθεῖν ἐκ τῆς ὑπηκόου Γαλατίας, ubi rerum ordine testatur Ariminum post expugnationem Ostiae atque iam ante pugnam in Janiculo factam parte militum eo missa in Cinnae potestatem redactam esse. Postrema enim verba Liciniani intellegenda sunt de Servilii[1] exercitu a Mario in deditionem accepto, non de deditione urbis. Itaque non omni probabilitate arbitror carere coniecturam Franckenii (p. 256), qui ex verbis Granianis concludit Servilium Cinnanis Ariminum rursus eripere voluisse, sed a Mario ab urbe esse repulsum. Tum autem apparet Licinianum in priore narrationis particula memoriam oppugnationis illius oppidi, quam ut ex Appiano cognoscimus, auctor ei praebuit, praetermisisse.

Graviora sunt ad fontes inquirendos quae sequuntur. Audimus Metellum cum Samnitibus de pace egisse, senatum autem condiciones, quas Samnites tulerant, repudiasse. Si reminiscimur iam multo ante (p. 24 B 9 sq.) nos scriptum videre Metelli castra in propinquo urbis fuisse, rursus nexum rerum habemus interruptum. Atque denuo non abest suspicio, quin etiam haec habenda sint additamenta sumpta ex subsidiario illo fonte, quem iam semel Granium adhibuisse supra vidimus. In enarrandis autem condicionibus Licinianus optime consentit cum Cassio Dione fr. 100, 7;[2]) cf.

Lic.	cum Dio.
Senatusque per Metelli legatos consultus de voluntate Samnitium qui se negab[a]nt aliter in pacem venturos, nisi civitas ipsis et per-	. . . . ὁ δὲ (sc. Μέτελλος) τούτοις οὐκ ἐσπείσατο· τήν τε γὰρ πολιτείαν ἠξίουν οὐχ ἑαυτοῖς μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς ηὐτομοληκόσι πρὸς σφᾶς δοθῆναι καὶ

[1]) Fortasse P. Servilius Vatia, qui postea Isauricus appellatus est, ut Pertz coniecit (de quo cf. Pauly VI, 1 p. 1118 n. 40).

[2]) App. c. 68 illas condiciones non commemorat atque in universum tantum dicit: οὐ συμβαίνοντος δὲ Σαυνίταις ἐς ἃ ᾔτουν τοῦ Μετέλλου κτλ.

[f]u[g]is omnibus daretur[1]) bon[aque] reddere[n]tur, abnuit dignitatem anti[qua]m P. R. [tu]entibus[2]) patribus.	οὔτε τι τῆς λείας, ἣν εἶχον, ἀποδοῦναι ἤθελον καὶ τοὺς αἰχμαλώτους τούς τε αὐτομόλους σφῶν πάντας ἀπῄτουν, ὥστε μηδὲ τοὺς βουλευτὰς τὴν εἰρήνην ἔτι τὴν πρὸς αὐτοὺς ἐπὶ τούτοις ἑλέσθαι.

Atque quoniam Dionem in describenda historia reipublicae liberae plurima a Livio sumpsisse verisimile est, ex illa quoque similitudine concludi potest Livium hoc loco Liciniano materiam praebuisse. Hoc unum mirum est, quomodo factum sit, ut Granius in priore narrationis particula, qua ad eundem fontem atque Appianus redire mihi videtur, res in Samnio gestas uberius exponere noluerit. Fortasse harum rerum in illo fonte descriptio non tam erat copiosa quam in altero, ex quo nonnulla addidit Licinianus — quae coniectura mihi eo facilior esse videtur, quod etiam App. breviter illas res perstringit — aut Licinianus has res, cum priorem fontem relinquere studeret, initio neglegentia praetermisit. In postremis verbis rursus similitudo inter Lic. et App. conspicitur, cf.

Lic. cum	App.
quibus cognitis Cinna per Flavium Fimbriam [in]leges quas postulabant eo[s] recepit et copiis suis iunxit.	ὁ Μάριος αἰσθόμενος συνέθετο τοῖς Σαυνίταις ἐπὶ πᾶσιν οἷς ᾔτουν παρὰ τοῦ Μετέλλου· ὧδε μὲν δὴ καὶ Σαυνῖται Μαρίῳ συνεμάχουν.

Quod ni casui tribuitur, nullo alio modo explicari potest nisi ita, ut Livium ex eodem fonte hausisse statuamus, quem etiam auctor Appiani i. e. Posidonius exscripsit.

---

[1]) Verba Cassiana prorsus similia impediunt, quominus cum Schmidtio (Phil. XIII p. 225) transponamus: 'nisi civitas ipsis daretur et perfugis omnibus bona redderentur.'

[2]) Haec Franckenii coniectura propius accedit ad cod. scripturam quam edd. Bonn.: 'anti[qua]m prae se [fere]ntibus.'

Sed non solum argumentis extrinsecus allatis, quae adhuc spectavimus, scilicet rerum singularum ordine perverso, nititur sententia nostra, quam de Liciniani scribendi ratione protulimus. Gravissimum potius argumentum inde repetimus, quod auctor posteriore loco multo acerbius de Pompeio Strabone iudicium facit quam antea. Alterum locum integrum hic apponimus: 'Nec desinebat Pompeius in[terim] miscere omnia et cum senatu videret[ur] aversari omnes exules m[aximeq(ue) Cin]nae causam, suasit tamen ut legati a Cinna [mis]si tuto reciperentur; e[t clam] cum Cinna consilia sociabat et Octavio [t]e[g]e[bat].'[1]) — Cinnae legationem aliunde non compertam habemus; in ceteris verbis luce clarius exprimitur Pompeium clam consilia communicasse cum Cinna. Sane Strabo illam senatui excitare poterat suspicionem, re vera autem eum partibus Marianorum se adiungere voluisse minime est verisimile, ut iam Mommsen (R. G. II p. 309) monuit. An putamus eum qui cum Sertorio atrox proelium commiserit atque deinde, ut hostes Cinnani ex Janiculo repellerentur, sex cohortes Octavio tradiderit, cum Cinna fecisse aut in Cinnae partes transire cogitasse? Quid? quod apud Plut. Pomp. c. 3, ubi verba τῷ πατρὶ . . . . ἀντιτεταγμένῳ πρὸς Κίνναν nolim neglegas, audimus Cinnam corrupisse L. Terentium quendam, ut Pompeios et patrem et filium e medio tolleret? Quae autem Strabo cum bellum traheret, re vera in animo habuerit, explanatur illo Liciniani priore iudicio, quod merito iam laudavimus. Si igitur in priore particula narrationis Licinianae (p. 24 B 4 sqq. et p. 22 B 17 sqq.) ad fidem historiae traditum est Pompeium tarde patriae opem dedisse et usque ad comitia consularia propter illas causas, quas hic repetere supervacaneum est, bellum voluisse trahere, hoc autem loco iniuria illi crimini datur, quod cum Cinna consilia communicaverit, ex summo hoc discrimine mea quidem sententia pro certo licet affirmare diversos auctores Liciniano praesto fuisse neque quidquam perversius esse quam ad unum omnia referre fontem. Memorabile autem est haud aliter

---

[1]) Reicienda est coniectura edd. Bonn. 'detegebat', quod cum pro spatio longius tum contra sensum est. — 'tegebat' corr. Mommsen.

atque Granium posteriore loco de Pompeio iudicare scriptores ex Livio pendentes (per. 79, Oros. V, 19, 10). Inprimis respicienda sunt verba Orosii haec: 'Cn. Pompeius qui . . . . diu sese novarum rerum aucupatione suspenderat, contemptus a Mario vel Cinna ad alterum consulem sese contulit etc.' Itaque mihi persuasum est Livii auctorem Pompeio obtrectasse atque eius res gestas in peius mutare voluisse. Fortasse Livius hic ex Rutilio hausit, quem malum de Pompeio Strabone iudicium fecisse iam supra diximus. Nam Rutilium inter Livii fontes fuisse negari non potest (cf. Nissen p. 43 et Busolt p. 345). Sane Busolt recte monet nostro loco certum iudicium fieri non posse, cum Pompeius apud omnes optimates summo in odio fuerit (cf. Cic. pro Corn. I fr. 53 ed. Müller: 'hominem dis ac nobilitati perinvisum'). Sed utcunque res se habet, rursus habemus indicium, quo verisimile fiat Livium esse alterum auctorem, quo Licinianus in belli civilis narratione usus sit.

Atque Livianae originis exstant vestigia etiam in proximis enuntiatis. Nam quod in per. 80 in pauca contractum videmus ('Italicis populis a senatu civitas data est'), apparet plenius apud Licinianum: 'dediticiis omnibus civita[s] data, qui polliciti mult[a] milia militum vix XV[I] (vel XV[II]) cohortes miserunt'[1]. Mentione dignum quoque est apud Livium populis Italicis civitatem dari ante expugnationem Janiculi, quae apud Lic. multo ante narrata est, quamobrem rursus non dubitabimus nostro loco additamenta tantum cognoscere ex altero fonte i. e. Livio derivata.

Adde quod etiam numerus hominum pestilentia absumptorum plane congruit cum Orosii, praeterquam quod hic numeros mortuorum et Pompeiani et Octaviani exercitus affert separatos.[2]

Sequitur denique in fine huius et in proxima pagina narratio de morte Pompei Strabonis, quae apud nullum alium scriptorem

---

[1]) Quid ex verbis Lic., inprimis ex voce 'dediticiis' sequatur, iam Mommsen (R. G. II p. 247 adn. et p. 309 adn.) subtiliter conclusit, ubi inspiciat si quis accuratius vult scire.

[2]) De loco Orosiano cf. excursum II.

tam copiose legitur. In eodem fonte, cuius iam patebat aditus, Granius diutius haesit. Iam obiter legenti enim occurrit (cf. inprimis verba p. 28 A 20 sq. 'et perfidiae et a[var]itiae [p]ess[im]um[1]) hominem') hanc memoriam manavisse ex fonte Pompeio maxime infenso, qualem fuisse Livii auctorem supra vidimus. Accedit quod verba Lic. (p. 26 B 21) 'fulmine afflatus' praebentur etiam ab Oros. V, 19, 18: 'Pompeius fulmine afflatus interiit'; de Jul. Obs. 56 verbis 'sidere afflatus' vide excursum II.

Ex eodem Jul. Obs. (etiam Vell. II, 21, 4) intellegi potest Livium similiter atque Lic. etiam de funere Strabonis tradidisse;[2]) cf.

Lic.	cum Jul. Obs.
Eius funus populus [Rom]anus[3]) dir[ip]uit mor[tu]umque [lect]o decussu[m[4]) pe]r caenum trahere no[n d]estitit.	Lectum eius populus diripuit, corpus unco traxit.

Ad Livium igitur undique ducimur. Num praeter hunc etiam alios scriptores qui idem narraverant Licinianus inspexerit, id quod e verbis (p. 28 B 2) 'traduntque auctores' facile conicere possis, in medio reliquendum est, cum illa verba non debeamus nisi coniecturae atque eodem iure legere possimus: 'tra[ditumque est]'.

Transgrediamur iam ad extremam narrationis quae nobis servata est partem. Hic ordo ac series rerum rursus eadem esse videtur atque apud App. c. 69 (med.): Pompeio mortuo Octavius eius copias in sua castra traducit (Lic.), Metellus et Octavius Marianis sese opponunt (Lic., App.) ad montem Albanum (App.); sed cum milites a proelio abhorreant (Lic.)

---

1) 'pessimum' Keil, '[nequis]si[m]um' Bonn.

2) Idem tradit Plut. Pomp. c. 1, ubi ad Sall. Hist. redire videtur (cf. Peter l. c. p. 112 sq.).

3) 'Romanus' coni. Pertz.

4) 'lecto decussum' rest. Keil secundum Plut. l. c.: *κατασπάσαντες ἀπὸ τοῦ λέχους*, '[fe]r[r]o [p]e[r]cussu[m]' Bonn., '[unc]o [suspen]su[m]' Mommsen.

atque servi iam transfugere coeperint (App.), Metellus exercitum reducit in urbem (Lic.); suadente Metello[1]) (Lic.) legati mittuntur ad Cinnam (Lic., App.), quorum in numero Crassus fuisse videtur (Lic.). In fine columnae valde detruncatus est codex, cum Franckenio (p. 243) nobis liceat altercationem ducum, cuius mentio fit verbis 'regresso Crasso ac iurg[a]nte cum Metello', inde explicare, quod Metellus non probavit legatos recusasse, quominus Cinnam salutarent consulem (App. c. 69); sed omnia reliqua plane incerta sunt. Itaque num ex illo rerum concentu concludendum sit Licinianum hoc loco ad priorem fontem redisse, in dubio relinquo.

Priusquam autem ad finem properamus, breviter disserendum est de auspicio initio fragmenti tradito, quod supra praeterire e re nobis esse videbatur. Idem auspicium habent Valerius Maximus I, 5, 5 et Plut. Mar. c. 38 (fin.), sed paulo aliter rem explicant. Nam Val. Max. et Plut. tradunt Marium asinum conspexisse, cum in domum Fanniae duceretur, Granius, cum domo exiret. Idem, id quod apud ceteros scriptores non invenimus, rem coniungit cum barbaro, qui Marium necare iussus erat. — Ac Plutarchum hic (c. 38 fin.) ex Livio hausisse similitudine cum Val. Max. intercedente evincitur. Appianus c. 61 non commemorat hoc miraculum, ceteris in rebus fugam Marii eodem modo, interdum iisdem verbis narrat atque Plut. c. 39 (ubi de servo traditur, cui mandatum est ut Marium interficiat). Quae similitudo recte ita explicata est, ut Posidonius communis utriusque scriptoris auctor fuisse putaretur.[2]) Sed Plutarchus, ut Busolt ostendit, Livium quoque adhibuit eumque secutus (c. 39 extr. et 40 init.) finem fugae Marii descripsit ita ut paulum discrepet cum Appiano. Apud hunc enim (c. 62) Marius a Minturnensibus dimissus (αὐτίκα τῆς πόλεως ἐξέπεμπον ὅπῃ δύναιτο σώζεσθαι) occultis itineribus ad mare pervenit et piscatorem senem cogit secum ancoras solvere. At apud Plutarchum Min-

[1]) Restituendum esse puto B 16 sq. cum Bursiano: 'legatum [M.? immo P.] C[rassum] de[cern]i[t].'

[2]) Müllenhoff „Deutsche Altertumskunde" II p. 159. — Busolt l. c. p. 337 sq.

turnenses in omnibus rebus eum adiuverunt, ad mare eum comitati sunt, unus ei navem obtulit. Haec narratio est Liviana: cf. Val. Max. l. c., Liv. per. 77: 'impositus publice navi delatus est in Africam', Vell. Pat. II, 19: 'tum cives . . . . . instructum eum viatico collataque veste in navem imposuerunt', Aur. Vict. 67: 'acceptaque navicula'. Idem autem etiam Granii auctorem tradidisse ostendunt verba 'oraverat ut se ad mare deducerent', quae propterea non aeque atque insequentia ex fonte Appiani derivata esse possunt.

Si connexum rerum respicimus, haec narratio pro additamento postea facto habenda videtur. Scriptorem ipsum arbitror temporibus plusquamperfectis ('oraverat, evaserat') et verbis 'superiore casu' hoc significasse. Praeterea brevitate loquendi trahimur ad coniecturam de servo illo iam antea expositum fuisse. Quis enim sit ille 'barbarus fugiens', ex hac particula cognosci non potest. Atque cum apud App. illud de asino miraculum desit, conicere velim antecedenti capite Liciniani, quod servatum nobis non est, exscriptum fuisse Appiani auctorem, secundum quem narrationem, qua de servo Cimbrico agitur, miraculo egentem insertam esse puto, nostro loco Granium illud miraculum in altero fonte inventum, cum miri amans id praetermittere nollet, addidisse. Quod autem Lic. saepius ad verbum congruit cum Val. Max. l. c., hic quoque Livium alterum fontem fuisse putabimus; cf.

Lic. cum	Val. Max.
[R]e[f]era[m] auspicium et superiore casu Mario oblatum; nam cum de conclavi[1]) fugien[s] barbarus apertum reliquisse[t], egressus videt asellum forte abiectis [ci]bar[i]is aquam petere. [I]de[m] sibi praeci-[pi] ratus oraverat, ut se	. . . . . in domum Fanniae Minturnis custodiae causa deductus est. Animadvertit enim asellum, cum ei pabulum obiceretur, neglecto eo ad aquam procurrentem; quo spectaculo deorum providentia quod sequeretur oblatum

[1]) 'de conclavi' cod., 'conclave' Bonn. — Non est quod mutemus; „fugere de“ etiam apud Mart. IX, 18 et Quint. VI, 1, 19.

ad mare deducerent, at-[q(ue)] ita[1]) evaserat.	ratus, ... a multitudine quae ad opem illi ferendum confluxerat, impetravit ut ad mare perduceretur, ac protinus naviculam conscendit eaque in Africam pervectus arma Sullae victricia effugit.

Ubi Lic. discrepat a Valerio Maximo et Plutarcho, ipsum mutavisse statuemus[2]): ipse miraculum, ut priori narrationi posset annectere, coniunxit cum servo illo barbaro. De tota igitur hac particula non aliter iudicaverim ac de fratrum certamine, de quo p. 60 sq. exposui. Concedo sane hunc locum non idoneum esse, quo coniecturam meam iustam esse certo demonstraretur. Sed miremur necesse est Licinianum, qui insequentia accuratissime narrat, omnia praeterire, quae inter Cinnae expulsionem initio fragmenti commemoratam et Marii reditum acciderunt (App. c. 65 sq.). Quae res facile intelligitur, si Granium statuimus alium post alium fontem esse secutum.

Iam breviter examinemus, quod Francken (p. 242) de hoc loco iudicaverit. „Epitomatorem" Licinianum censet hoc unum auspicium sumpsisse ex auctore suo, ubi omnia narrata fuerint, quae Mario acciderint ex eo tempore quo (a. 666) per Sullam Roma expulsus sit. Sed valde miraremur scriptorem Romanum post tumultus Cinnanos anno 667 (87) factos (quos commemorat initium fragmenti) rediisse ad Marii errores. Hunc ordinem neque Livius secutus est, quem ex periochis cognoscimus fugam Marii medio libr. 77, Cinnam expulsum 79. demum libro narravisse,[3]) neque Plutarchus neque Appianus. Sed ponamus paulisper Franckenium recte iudicasse. Nonne mirum esset Granium, fabularum ut vidimus amantissimum, hoc loco nihil accuratius narrasse de Cimbrico vel Celtico servo, qui Marium interficere iussus erat?

---


[1]) 'atque ita' rest. Keil, 'ac vix' Bonn.

[2]) Wijnne quidem (Phil. XV p. 358) discrepantias putat esse tantas, ut Lic. ex Plutarchi et Val. Maximi fontibus non possit hausisse.

[3]) Libr. 78 agitur de belli Mithradatici initiis.

Itaque probabilius videtur, quod supra coniecimus: Licinianum iam antea Marii errores descripsisse, in rebus autem anni 667 (87) narrandis usum esse altero quoque fonte, unde addiderit hoc auspicium; plura necessaria non erant, quoniam res ad historiam pertinentes iam narraverat secundum primum fontem, ad quem statim revertitur.

Sic tota belli civilis narratione accurate examinata totque argumentis minime fallacibus collectis iam quaestionis nostrae summam faciamus. Ac primum quidem certum est hanc partem operis Liciniani non ex uno fonte excerptam, sed ex compluribus, fortasse duobus tantum, haustam esse. Deinde vidimus Granium narrationes auctorum non commiscere atque in unum confundere: prorsus alienum erat ab eius ingenio singulas res multis libris disiectas atque dispersas nunc ex hoc nunc ex illo conquirere et contexere; immo vero pauci auctores ei in promptu erant, quos alterum post alterum exscripsit, quamobrem singulas particulas ex diversis fontibus sumptas etiamnunc clare dignoscere atque seiungere possumus. Atque etiam hoc satis me probavisse spero in posteriore parte Livium adhibitum esse, in priore autem alium auctorem, quem Strabonem esse ex paucis indiciis suspicandum esse putabam. Habemus igitur, si id, quod Busolt invenit, in nostrum usum convertimus, hoc stemma eorum scriptorum, qui res in Liciniani fragmentis commemoratas narraverunt:



Quod ad fidem historicam attinet, priorem partem iam diximus inprimis laude dignam et alteri, in qua iniuste de Pompeio iudicatur, esse praeferendam. Tamen etiam altera pars complura nova nos docet, quae quin vera sint non est quod dubitemus. Iniuria igitur Madvig haec „einige höchst dürftige Notizen" appellat atque scriptorem vituperat, cum dicit ea, quae apud Lic. quattuor parvis paginis narrentur, apud Livium complere totum librum 79 et maximam partem libri 80. Nam quae initio periochae 79 traduntur, apud Lic. iam non sunt servata et periochae 80 minor tantum pars cum Graniana narratione comparari potest.

CAPUT IV.

De bello Mithradatico.

Hoc ultimo capite disputabimus de eo fragmento, quod est de primo bello Mithradatico (fol. VI r et II r, ed. Bonn. p. 32—34). Investigantes autem horum capitum fontem perpaulum efficiemus. Quem enim auctorem secutus sit, omnino non potest dici. Hoc tantum pro certo possumus contendere Livii nec volam nec vestigium apparere.

Licinianus (p. 32 A 9 sq.) tradit Mithradatem cum Dorylao in Graeciam misisse 'quinquaginta milia peditum equitumque', at in Liviana memoria (Eutrop. V, 6, 3 et Oros. VI, 2, 6) septuaginta vel, id quod verisimilius est, octoginta milia occurrunt. Nam numerum LXX probabile est in epitome, ex qua uterque illorum hausit, falso scriptum fuisse pro LXXX[1]), quem numerum habent Plut. Sull. 20 et App. Mithr. 49. Certum enim est in describenda pugna apud Orchomenum commissa Plutarchum et Appianum, atque hunc quidem per Strabonem, usos esse eodem fonte atque Livium, Sullae scilicet commentariis.[2]) Ac ne quis dicat Liciniani codicem hoc loco adeo esse mutilatum, ut edd. Bonn. lectio minimi sit momenti; ipse hic numerus 'quinq[u]a[ginta]' clarissime potest cognosci. Sed si quis etiamnunc de discrepantia Livii et Granii dubitet, hoc secum deliberet: Oros. VI, 2, 6. 7 accurate dicit, quot Asiaticorum pugna perierint: 'secundo proelio (i. e. secundo totius belli, priore apud Orcho-

---

[1]) Ut iam Klebs l. c. p. 36 coniecit.

[2]) Peter „Die Quellen Plutarchs etc." p. 57 sqq., Arnold p. 140 sq., Busolt p. 430, Otto p. 312.

menum proelio) quindecim[1]) milia ex his interfecta sunt, ibique Diogenes, Archelai filius, trucidatus est; tertio bello omnes copiae, quas Archelaus habebat, extinctae sunt. Nam viginti milia militum eius in paludem pulsa — interfecta sunt totidemque alia in flumen coacta ac necata, reliqui miserorum passim trucidati sunt.' Dicit igitur expressis verbis omnes Mithradatis copias esse extinctas, cum apud Licinianum (B 3 sqq.) scriptum videamus: 'amplius XXV milia capiunt, quae postea sub corona venierunt.' Haec inter se conciliari posse nemo erit qui dicere audeat. Apparet igitur Liciniani narrationem non fluxisse ex Livio aut, id quod Pertz (praef. p. XX) contendit, ex eius auctore Sulla.

Hoc etiam eo confirmatur, quod secundum Licinianum (B 11 sqq.) Sulla Archelaum convenit Aulide, secundum Plut. c. 22 Delii (ἐπὶ θαλάττῃ περὶ Δήλιον οὗ τὸ ἱερὸν τοῦ Ἀπόλλωνός ἐστιν). Plutarcho autem plus fidei habemus propter accuratissimam loci descriptionem.[2])

Nescio an cuiquam quartum argumentum in eo positum esse videatur, quod Diogenes, qui in priore proelio apud Orchomenum facto mortem obit, apud Licinianum appellatur Archelai filius, apud Plut. c. 21 privignus. Sed cum Liciniano concinunt etiam Eutropius, Orosius, Appianus, quos constat memoriam huius rei a Sulla repetivisse. Haec discrepantia igitur non diversi fontis testimonium est, sed neglegentiae illorum scriptorum, qui pro privigno tradiderunt filium.

---

[1]) 'Quindecim' iam a Francisco Fabricio (edit. 1561) secundum Eutrop. (et App. Mithr. 49) sine dubio recte scriptum est pro tradito 'quinquaginta'. Ipse Orosius tradit Dorylaum LXX vel LXXX milia hominum in Graeciam duxisse et Archelaum praeterea X milia hominum collegisse (item App. l. c.). Ex iis altero proelio necantur: 20 000 + 20 000 + x (reliqui trucidati). Quodsi priore proelio L milia militum perdita essent, XC milia cecidissent sine illis, quos littera x significaveramus. Quod manifestum est fieri non posse.

[2]) Sane cogitari potest in primario aliquo fonte sermonem fuisse de templo Apollinis inter Delium et Aulidem sito, quae oppida haud procul inter se absunt. Hoc quoque modo discrepantia satis mira, quae est inter Liciniani et Plutarchi narrationem, nullo negotio explicari potest.

Si universum hoc caput perlustraverimus, facile perspiciemus id multo minus copiosum accuratumque esse quam bellum Cimbricum et bellum civile. Quae de proelio comperimus, exilia sunt, nova haec tantum: Dorylaum LXX quadrigas falcatas secum duxisse et plus XXV milia hominum a Romanis capta esse. Quod autem ad fidem historicam attiuet, non dubitabimus eum numerum copiarum, cui Licinianus dicit Dorylaum praefuisse, cum minor sit, praeferre ei, qui ex Sullae commentariis sumptus est, praesertim cum Sullam constet saepe numeros falsos tradidisse. Forsitan quispiam putet eum auctorem, quem secutus est Licinianus, a Mithradate stetisse consultoque perhibuisse minorem copiarum numerum. Sed cum hac opinione pugnat cum totus loci tenor tum verba: 'hostium multitudinem innumerabilem concidunt'.[1])

In universum Licinianus fontem videtur valde in artum contraxisse. Hoc inprimis demonstratur enuntiato (B 8 sqq.): 'Regii qui A[b]der[a]e praesidebant captis Philippis dilabuntur'. Quam rem aliunde non cognoscimus. Philippi non possunt esse expugnati nisi per Flaccum,[2]) qui tamen apud Granium non commemoratur. In fonte eius censendum est expeditionem a Flacco per Macedoniam et Thraciam factam hoc loco descriptam fuisse.

Deinde aliquanto copiosius exponitur de pacis condicionibus, de quibus per magnum temporis spatium actum esse (App. Mithr. 54—58, Plut. Sull. 22 - 24) indicant verba 'quibus ille tandem paruit'. Ex verbis quae sequuntur 'nam et Fimbriae adventum timebat, ut mox ordine indicabo' rursus elucet ordinem rerum alium esse apud Licinianum alium apud Livium, quem periochae

---

[1]) Quantas copias Archelaus, cui ceteri auctores X milia hominum fuisse narrant, secundum Lic. collegerit, ex valde mutilata col. A 14 sq. intelligi non potest. Edd. Bonn. coniectura 'Archelaus ubi [septuaginta] circiter [mi]l[i]a . . . collegerat' unde orta sit non video. An intelligi volunt hunc numerum de coniunctis Dorylai et Archelai copiis (50 000 + 20 000 [?])? Sed quomodocunque iudicant, coniectura ut parum fundata e libris removenda est.

[2]) Ut recte contra Mommsenum (R. G. II p. 295) putant Reinach p. 185 et Francken p. 257.

82 et 83 docent Fimbriae in Asia expeditiones inseruisse inter pugnam apud Orchomenum commissam et pacem Dardani factam. Ergo Livium Liciniano materiam praebuisse etiam hoc loco redarguitur.

Ex pacis autem condicionibus una inprimis insignis est (p. 34 A 2 sqq.): 'Q. Oppium et M.' Aquilium legatos redderet'. Ceteri enim scriptores omnes narrant M'. Aquillium a Mytilenaeis Mithradati traditum atque ab eo interfectum esse: App. Mithr. 21 (cf. etiam c. 112) prodit regem eum in asino sedentem secum duxisse et, ut eius pecuniae aviditatem notaret, postremo aurum liquefactum in collum eius infundi iussisse. Quocum consentit Plin. hist. nat. XXXIII, 14, 48. Videtur sane haec narratio ab aliquo rhetore esse inventa.[1]) Secundum Cic. de imp. Cn. Pomp. 5, 11 ille verberibus necatus est. Neque dubitari potest, quin per vim a Mithradate mors ei illata sit, id quod, si Ciceronis (l. c.) verba respicimus, Romae notissimum erat.[2]) Ex Liciniani autem narratione, ut recte iam observavit Reinach (p. 121 adn.

---

[1]) Posidonium hanc narrationem novisse ex fr. 41 non potest colligi. Narrat ibi Athenion Atheniensibus turpissime Aquillium a Mithradate esse excruciatum (Μάνιος δὲ 'Ακύλλιος — συνδέτην ἔχων ἁλύσει μακρᾷ Βαστάρνην πεντάπηχυν πεζὸς ὑπὸ ἱππέως ἕλκεται), sed de eius morte nihil additur. Neque etiam Posidonius, ut falso Arnold p. 120 adn. dicit, a Plinio in libri 33 auctorum catalogo nominatur. — Appiano fortasse Strabo, qui Posidonium supplevit, praebuit hanc narrationem.

[2]) Pro nihilo putandum est, quod tradit solus Diod. XXXVII, 27 Aquillium, priusquam a Mytilenaeis dederetur, ipsum sibi mortem conscivisse. Repugnant huic narrationi cum loci supra allati tum Cic. Tusc. V, 5, 14 et pro Scauro 3, 2, ubi Aquillius vituperatur, quod ne in hostium manus incideret, non ipse se necavisset, et Liviana memoria (per. 78, Val. Max. IX, 13, 1, Vell. Pat. II, 18), ex qua quidem quomodo mortuus sit non elucet. Busolt p. 418 existimat Diodorum hoc loco malum auctorem sequi, secundum quem libenter neces voluntarias narraverit. Probabilius mihi videtur Reinach p. 121 adn. 2 conicere: cum apud Velleium de compluribus hostibus tradendis sermo sit, Diodorum videri confudisse Aquillium patrem cum filio vel eius aliquo collega.

3 et p. 190), nihil colligendum est nisi cum pax fieret, Sullam nondum certiorem factum esse de Aquillii sorte. Nam Mithradatem consentaneum est consulto nihil de hac re cum eo communicavisse. Postea demum rumor percrebruit Aquillium per vim occidisse et mox fama illa exorta est, quam Appianus et Plinius afferunt. — Errore adductum Licinianum Francken (p. 253) arbitratur confudisse Aquillium cum L. Cassio, quem a Mithradate redditum esse commemorat App. Mithr. 112. Neque vero nobis persuasit, quia omnia, quae Granius de pacis condicionibus affert, egregie sunt exposita. Quare priusquam ad hanc coniecturam confugiamus, demonstrandum est, quomodo fieri potuerit, ut pro Cassii nomine in narrationem irreperet nomen Aquillii, cuius sors erat pernota. Dicendum hoc potius est: Si in fonte postea additum fuisset Sullam frustra postulasse, ut Aquillius redderetur, Licinianus hanc postulationem non sine ullo additamento in pacis condicionibus attulisset. Neque etiam probabile est scriptorem, ut est fabularum amantissimus, hanc de foedissima legati morte narrationem praetermissurum fuisse.

Ergo concludendum mea quidem sententia est Licinianum vetusto aliquo fonte usum esse brevissimo tempore post factam pacem conscripto, priusquam Aquillii sors innotuisset. Sed qualis ille fuerit, accuratius describere non possumus.

Iam quaerendum est, quantum cetera a Liciniano tradita valeant. Cum ea condicione, quae primo affertur loco (p. 32 B 22 sq.) ‘Archelaus classem traderet Sullae’ simul explicanda est illa, quae p. 34 A 11 sqq. invenitur: ‘praeterea naves LXX tectas instructas sociis daret [et] frumentum [ei]s [et] stipendium ipse pr[a]estaret’. Plutarchus tantummodo LXX naves traditas esse testatur (c. 22 fin. καὶ δοῦναι ναῦς ἑβδομήκοντα χαλκήρεις μετὰ τῆς οἰκείας παρασκευῆς et c. 44 ὁ μὲν οὖν Μιθριδάτης ἑβδομήκοντα ναῦς παραδοὺς καὶ τοξότας πεντακοσίους εἰς Πόντον ἀπέπλευσεν). Apud App. Mithr. 55 Sulla cum Archelao colloquens dicit: ἐὰν τὸν στόλον ἡμῖν, ὃν ἔχεις, ὦ ᾿Αρχέλαε, παραδῷ πάντα Μιθριδάτης κτλ. Postremo Memnon c. 35 numerum navium traditarum LXXX fuisse memoriae prodit.

Multis modis viri docti efficere studuerunt, ut scriptorum narrationes inter se concinerent. Ac primum quidem Reinach

(p. 190) discrimen fuisse censet inter pacis condiciones publice factas et arcanas quasdam res, de quibus Delii inter Sullam et Archelaum convenerit; in his fuisse postulationem, ut Archelaus totam classem traderet, id quod paulo post fecerit. Sed cum hac coniectura pugnant et Appiani (cf. supra) et Liciniani verba (p. 34 A 16 sqq.) 'his ipse Mithridates cum Sulla [apud] Dardanum [com]positis'. Accedit quod si Reinachium putaremus recte coniecisse, simul probaremus Archelaum re vera regem suum prodidisse, id quod minime demonstrari potest. Longum est haec accuratius perscrutari. Hoc unum commemoramus: Si Archelaus reapse eam classis regiae partem, cui ipse praeerat, Sullae tradidisset,[1]) quomodo fieri potuit, ut regis nomine diutius cum Sulla de ceteris pacis condicionibus ageret? Num audere potuit etiam ad Mithradatem redire? Nonne Plutarcho et Appiano, ubi Archelaum faciunt interpretem pacis, omnem fidem derogare debuimus? Id quod ne Reinach quidem audet. Re vera postea demum regis suspicio mota est maximeque aucta, cum Archelaus fugeret ad Murenam (App. Mithr. 64). Ita intelligitur, quod Mithradatem Sallustius (hist. IV, 20, 12) dicentem facit: 'incepta mea postremus servorum Archelaus exercitu prodito impedivit'. Sed culpam Archelai his verbis coargui non posse consentaneum est. Praeterea Reinach ad confirmandam suam sententiam (p. 190 adn. 5) laudat Liv. per. 82 et Ps.-Aurel. Vict. de vir. ill. 76. Sed quod apud Ps.-Aurel. Vict. proditur Archelaum iam ante pugnam apud Orchomenum commissam classem tradidisse, nihil valet. Offendere sane possunt in Livii per. pugna Orchomenia commemorata verba: 'Archelaus cum classe regia Sullae se tradidit'. Sed praestat statuere, epitomatorem hic errasse, quam Reinachii sententiam hoc tantum loco nisam sequi.

At Neumann (I p. 566 et 568) videtur putare Licinianum falso coniunxisse eas condiciones, quae primitus et eas, quae ipsa

[1]) App. Mithr. 55 tradit praesidia Pontica ex castellis Europaeis reducta esse. Etiam de hac re putat Reinach secreto inter Sullam et Archelaum convenisse. Sed vera causa fuit alia: Copiae enim illae, cum in Europa inutiles essent, in Asiam eo consilio arcessitae sunt, ut Mithradatem a Fimbria defenderent.

pace statutae essent: primitus postulatum esse, ut Archelai classis traderetur, postea ut numerus navium tradendarum esset LXX. Quod verisimillimum esset, nisi altero loco apud Granium legeremus 'sociis daret', quae verba et Reinach et Neumann videntur neglexisse. Non igitur est, cur alterum locum putemus iuxta alterum stare non posse. Quid multa? Recte res explicat Mommsen (R. G. II p. 299) cum dicit: „Sulla forderte die Übergabe der 80 Kriegsschiffe des Archelaus (num numerus LXXX sumptus ex Memnone certus sit, diiudicare nolumus), . . . ausserdem sollen den mit Rom verbündeten Staaten eine Anzahl Kriegsschiffe zugestellt werden." Quamquam etiamnunc mirum esse videtur, quod Plutarchus has tantum (LXX) commemorat.

Clausula illa altero loco a Liciniano allata, qua Mithradates quidquid bello partum erat cogitur reddere, occurrit apud omnes scriptores (Plut. Sull. 22, App. Mithr. 55, Memnon 35, Liv per. 83, Florus I, 40, 12); apud solum Licinianum nominantur Gallograeci; deest Cappadocia, quam (ut iam Francken p. 259 suspicabatur) verisimile est neglegentia librarii in fine fol. VI r omissam esse, praesertim cum paulo infra de Cappadociae rege sermo sit: nam si Liciniano fidem habemus (p. 34 A 19 sq.), Mithradates, cum Sulla Dardani eum cum Cappadociae rege vellet reconciliare, id quod Plut. Sull. 24 ei tradit contigisse, respuit Ariobarzanem, quem ut non in purpura natum existimabat servum.[1])

Deinde statuitur, ut omnes captivi reddantur (App. Mithr 55). Hic Licinianus non solum Oppium et Aquillium nominatim affert, sed etiam (id quod alibi non legimus) addit inprimis postulatum esse, ut uxores liberique remitterentur Macedonibus, quorum in Romanos fides insignis fuisset. Itaque pacis condiciones afferuntur fere plenae; mirum tantum est non commemorari impensas in bellum factas (Plut. 22, Memnon 35, App. 55).

Adduntur pauca de expeditionibus ab Hortensio et Sulla eo tempore, quo illae res cum Mithradate agebantur, factis ad

[1]) Edd. Bonn. verba 'gratia — respuit' censent „ab epitomatore male huc adscita." Sed cum Linkero levi transmutatione facta servanda sunt: 'compositis, gratia [P. R.] reconciliata Ariobardianen ut servum respuit, reliqua classe in Pontum proficiscitur.'

Thracias gentes, quae in Macedoniam invaserant, puniendas. De Hortensii legati expeditione alibi nihil scriptum videmus, sed Sullana etiam ab ceteris scriptoribus commemoratur (Plut. Sull. 23, App. Mithr. 55, Ps.-Aurel. Vict. de vir. ill. 75, Eutrop. V, 7, 1), qui quidem in enumerandis gentibus vexatis valde inter se differunt.[1]) Denseletas a Liciniano, qui solus eos nominat, Reinach monet per errorem allatos esse propter Cic. in Pisonem XXXIV, 84.[2])

Iam Licinianus, postquam de institutis a Sulla in Asia factis locutus est atque nova nos docuit de poena ab Ephesiis petita, transit ad res Bithynicas, de quibus iam capite I. disputatum est. Hic ex alio auctore accuratius de rebus Bithynicis agente scriptorem hausisse supra docui.

Per totum fragmentum hoc pro certo potuimus statuere neque Sullam neque Livium neque Appiani fontem Strabonem, quem in bello civili describendo Granium putavimus esse secutum, fundamentum esse Licinianae belli Mithradatici narrationis. Cum quadam probabilitate nobis videbamur conicere Granii auctorem fuisse Sullae aequalem, sed accuratius eum definire nequimus. Nonnunquam in hac quoque parte Licinianus res haud parvi momenti quaeque ab aliis scriptoribus non commemorentur, nobis tradit. Sed de temporum ratione nihil in hoc fragmento inest, quod nos edoceat.

Quamquam Mommsen (R. G. II p. 295 adn.) primis fragmenti verbis (p. 32 A) indicari putabat Sullam Athenas, ubi per hiemem 668/9 (86/5) moraretur, rediisse eaque re confirmari sententiam suam, qua pugnam Orchomeniam a Liciniano postea narratam in anno 669 (85) ponendam esse existimabat. Contra haec iam obstitit Francken (p. 258), qui suo iure negavit ex Liciniano ullum pro illa sententia argumentum peti posse: dicit enim tantum Sullam Athenas rediisse, non sub adventum hiemis

---

[1]) Cf. Reinach p. 196 adn. 1 (ubi falso „Dardanos et Enetos" Auctoris de vir. ill. esse dicitur pro „Dardanos et Maedos").

[2]) 'Denseletis quae natio semper oboediens huic imperio etiam in illa omnium barbarorum defectione Macedoniam C. Sentio praetore tutata est, nefarium bellum et crudele intulisti, eisque cum fidelissimis sociis uti posses, hostibus uti acerrimis maluisti'.

eum rediisse.[1]) Accedit quod conventum illum Dardaniensem Reinach (p. 199 adn. 2) ostendit mense Augusto anni 669 (85), non ut Mommsen et plerique aliorum putant, anno 670 (84) fuisse. Quodsi pugnam apud Orchomenum factam eodem anno 669 (85) fuisse existimes, ceteris rebus inter hanc pugnam et pacem Dardaniensem gestis temporis spatium nimis parvum maneat. Itaque pugnam a. 668 (86) fuisse probabile est eiusque anni autumno (cf. Reinach p. 183 adn. 1). — Quae cum ita sint, de temporum ratione ex fragmento Liciniani nos quidem nihil discimus, sed ex iis quae modo exposuimus, apparet nimium esse probrum Madvigii, cum (p. 400) dicat: „Mit den Worten 'his — compositis' wird aus dem a. 86 in das a. 84 von Griechenland nach Asien gesprungen."

[1]) Sed Francken p. 257 (etiam Neumann I p. 541) a vero aberrasse videtur, cum ex primis verbis fragmenti conclusit: „Ergo Licinianus fere eundem rerum ordinem statuit fuisse atque Pausanias I, 20, 6", qui tradit Sullam cum Athenae caperentur, in Boeotia fuisse et eodem die apud Chaeroneam vicisse, deinde Athenas reversum adversarios affecisse suppliciis (τοὺς ἐναντιωθέντας 'Αθηναίων καθείρξας ἐς τὸν Κεραμεικὸν τὸν λαχόντα σφῶν ἐκ δεκάδος ἑκάστης ἐκέλευσεν ἄγεσθαι τὴν ἐπὶ θανάτῳ). Ceteri scriptores consentiunt Sullam expugnationi Athenarum interfuisse et postea demum pugnam apud Chaeroneam commissam esse. Contra haec autem minime dicit Liciniani fragmentum. Hic enim 'principes seditionis' i. e. Aristionem et socios eius dicit esse punitos: qui cum in expugnanda urbe in Acropolim confugissent, Sulla hanc C. Scribonio Curioni obsidendam mandaverat (Plut. Sull. 14, App. Mithr. 39). Id quod tradit Pausanias, fortasse ita est intellegendum, ut Acropolim arbitremur eodem tempore expugnatam esse, quo pugna apud Chaeroneam commissa sit (cf. Reinach p. 169). Post pugnam Sulla Athenas revertitur et de principibus seditionis sumit supplicium, cuius rei potestatem Curio non habebat. Nihil amplius ex Liciniano colligi potest. Quae insequuntur, magis depravata sunt, quam ut inde intellegamus, num Licinianus concinat cum Pausania et appellatus fuerit Aristion, de cuius morte cf. Strabon. fr. 57a (et ad hunc locum Otto), App. 39, Plut. 23.

Restant pauca fragmenta minora, quae cum iis, quae adhuc explicavi, non poterant una in medium proferri.

1. fol. IX u (ed. Bonn. p. 10, ex libr. XXVIII) continet quaedam miracula, quorum quod est de Corfidiis fratribus (A 7 sqq.), a Varrone quoque apud Plin. hist. nat. VII, 52, 177 tanta cum verborum congruentia profertur, ut recte iam Pertz suspicatus esse mihi videatur Licinianum hoc ex Varrone hausisse; quod minime tibi mirum erit, si reputaveris Licinianum antiquitatum diligentissimum fuisse, ut iam saepius cognovimus. Hac necessitudine perspecta facile nobis persuadebimus etiam ea, quae in primo fragmento (fol. XI u, ed. Bonn. p. 4) ad antiquitates pertinent (cf. supra p. 12 sq.), scriptorem debere Varroni.

Corfidium, cuius de inopinato ad vitam reditu Varro et Licinianus narrant, Ernesti eundem putabat esse atque L. Corfidium a Cicerone pro Ligario 11, 33 appellatum, equitem Romanum, Q. Ligarii advocatum eiusque pernecessarium, cuius nomen Cicero ex illa oratione tolli volebat (ad Att. XIII, 44, 3), quoniam Corfidius iam mortuus erat, cum illa oratio dicta est. Idem alii viri docti multi censuerunt (cf. Schneider, vita Varronis in Scriptt. R. R. I, 2 p. 217 et Orelli, Onom. Tull. s. v. Corfidius). Sed postquam nobis Liciniani fragmentum innotuit, quod ex libro XXVIII est res annorum 591 (163) et 592 (162) complectente,[1]) intellegimus illos in errorem incidisse atque opprobrio faciendum est De-Vit (Onom. II p. 413), quod in illorum virorum sententia perseveravit.

Post illa verba observatione dignissima (A 20 — B 9), de quibus in exordio iam actum est, altera columna accurate exponitur de nuntio a Tiberio Graccho Romam misso, quo anni 592 (162) consules P. Cornelium Scipionem et C. Marcium Figulum comitiis a se habitis docuit vitio creatos esse.[2]) Huc miracula quoque antea commemorata haud dubie referenda sunt. Verba alterius columnae valde mutilata edd. Bonn. secundum Cic. de nat. deor. II, 4, 11

[1]) Cui rei non obstat, quod Plinio teste ille Corfidius Varronis materterae maritus erat.

[2]) De qua re cf. Mommsen „Röm. Staatsrecht" I³ p. 103 adn. 4.

restituerunt; sed in singulis multa incerta remanent. De fonte, unde haec deprompsit scriptor, nihil potest conici. Proximorum eiusdem anni factorum narrationem accuratissimam fuisse constat, cum per duas paginas (fol. IX r et XII u) porrigeretur. De alterius consulis suffecti P. Cornelii Lentuli meritis agitur fol. XII r (cf. caput I, 2).

2. fol. V r (ed. Bonn. p. 38, ex libr. XXXVI). Triumphos annorum 674 (80) et 673 (81) initio huius fragmenti commemoratos, de quibus supra (capite II.) iam sermo erat, sequuntur quaedam verba de ludis a Lucullis fratribus,[1]) cum aediles curules essent, datis. Ac cum iis, quae hic narrantur, concinit Fenestella apud Plin. hist. nat. VIII, 7, 19: 'Romae pugnasse (elephantos) Fenestella tradit primum omnium in circo Claudi Pulchri aedilitate curuli, M. Antonio et A. Postumio coss., anno urbis 655, item post annos XX Lucullorum aedilitate curuli adversus tauros'. Quibus ex verbis elucet Lucullorum aedilitatem in annum 675 (79), non, ut edd. Bonn. adnotant, in annum 674 (80) incidere. Cum Licinianus aeque atque Fenestella hac occasione oblata ad C. Claudium Pulchrum redeat eumque primum Romae elephantorum pugnam spectatoribus praebuisse adnotet, haud iniuria aliquam inter illos scriptores necessitudinem statuere nobis videmur.

Deinde describitur, quomodo Volaterrani Sullae se dediderint (Liv. per. 89, schol. Gron. p. 428 Or., Strabo V, 2, 6). Hic autem connexus rerum tam obscurus est, ut a Mommseno (R. G. II p. 331), Franckenio (p. 253), Langio („Röm. Altert." III p. 160 sq.) prorsus diverse sit enarratus, quamquam unusquisque eorum sequitur Licinianum. Quis eorum rectum viderit, certo non potest demonstrari, tamen Mommseni sententia mihi videtur probabilissima. Is enim primum enuntiatum ita intellegit, ut Carbonem, Sullanum ducem, qui obsidioni praefuerit, a suis militibus lapidibus occisum esse censeat. Primo quidem obtutu Carbo a Volaterranis potius videtur esse trucidatus. Hac opinione usus Lange eos, postquam iam ad Sullae partes se applicaverint, rursus defecisse putat et Carbonem a Sulla iis praefectum necavisse. At bis urbem esse expugnatam nusquam

[1]) De quibus cf. Drumann IV p. 120 sqq. et p. 176.

nobis traditur. Accedit quod Mommseni sententiam confirmat Val. Max. IX, 7, 3: 'ille quoque exercitus — qui C. Carbonem, fratrem Carbonis ter consulis, propter bella civilia dissolutam disciplinam militarem praefractius et rigidius astringere conatum privavit vita etc.' Haud enim facile hoc loco de alio Carbonis fratre cogitabimus. Proxima verba Liciniani 'is—proscriptos ex oppido dimiserat' Mommsen Strabonem,[1]) ni fallor, secutus recte sic intellegit: „Carbo ex pacto inviolatos abire passus erat“; ea ipsa de causa milites occidunt imperatorem „nimis indulgentem“ (?). At Lange, qui legit 'dimisera[n]t' et post verba 'is Cn. Carbonis frater fuit' collocat punctum, illa verba refert ad Volaterranos atque sic explicat: „Die Vol. geben vor Übergabe der Stadt den Proskribierten Gelegenheit zur Flucht.“ Sed huic sententiae non solum iniquum est quod traditum verbum corrigere cogimur, sed etiam Strabonis verba impugnant, qui tradit illos ὑποσπόνδους παραχωρῆσαι.

Nimis audacter Francken et Madvig (p. 401) hoc obscuro loco ita volunt mederi, ut in enuntiato 'Carbone praetorio quem Sulla praefecerat' pro 'Sulla' legi iubeant 'Marius' eiusque sensum ita intellegant: Carbo, dux Marianus, cum a Sullanis oppidum defendere se non posse videret, proscriptis clam permisit, ut fuga salutem peterent; propterea cives proditos se esse arbitrati eum occiderunt. Sed hanc explicationem equidem non probo. Primum enim Licinianus mihi videtur indignus, qui tantae neglegentiae insimuletur, tum hic, si proscriptos diceret ab duce ex oppido esse dimissos, aeque ac supra dissentiret a Strabone.

Facta est deditio Volaterranorum, ut discimus ex Liciniano, Claudio et Servilio coss. i. e. a. 675 (79). Iam antea notum nobis erat obsidionem oppidi sub finem a. 673 (81) inchoatam esse (Cic. pro Rosc. Amer. 7, 20; 37, 105) et per duos annos continuatam (Strabo l. c.). Antehac Nolam[2]) quoque esse expugnatam comperimus.

[1]) Strabo V, 2, 6: ἐνταῦθα συνέστησαν τινὲς τῶν Τυρρηνῶν καὶ τῶν προγεγραμμένων ὑπὸ Σύλλα. πληρώσαντες δὲ τέτταρα τάγματα στρατιᾶς διετῆ χρόνον ἐπολιορκήθησαν, εἶθ' ὑπόσπονδοι παρεχώρησαν τοῦ τόπου.

[2]) Edd. Bonn. verba 'iam ante anno superiore' epitomatoris

Sequitur narratio de Papii Mutili exitu, quae invenitur etiam Liv. per. 89: 'Mutilus unus ex proscriptis clam capite adoperto ad posticas aedes Bastiae uxoris cum accessisset, admissus non est, quia illum proscriptum diceret; itaque ipse se transfodit et sanguine suo fores uxoris respersit'. Sed de Liciniani et Livii necessitudine concludi inde nihil potest, cum non verborum, sed rerum tantum congruentia sit atque hanc narratiunculam cogitandum sit a multis scriptoribus memoriae proditam esse.

Quod modo tractavimus fragmento valde mirus est ordo rerum, quae sunt ex annis 674 (80), 673 (81), 675 (79). Iam perlustra horum annorum (673—75) descriptionem tam tenuem atque exilem esse, ut eam integram esse credere nequeamus, cum adhuc Licinianum viderimus copiosissime res explicare. Itaque censuerim, quae hoc fragmento nobis traduntur, Liciniani additamenta tantum esse ex subsidiario fonte hausta. Et sunt vestigia, quae nos ducere videntur ad annales quosdam (fortasse ad annales Fenestellae vel eosdem, quibus Fenestella usus est?). De tali opere vel eo admonemur, quod singula enuntiata particula 'et' asseruntur. Licet nusquam in Liciniano habeamus quod sermonis elegantiam miremur, tamen dicendi genus in hoc fragmento usurpatum a ceteris differt. Accedit quod res narratae tales sunt, quales ab annalium scriptoribus adamentur. Sic etiam temporum ordinem esse perturbatum explicatur: Cum Pompei triumphus esset commemoratus, huic Licinianus ex alio fonte duos antecedentis anni triumphos addidit, tum proximorum annorum paucas res annexuit neglecto sane, quod principale scriptoris vitium semper cognovimus, temporum ordine.

3. fol. IV r (ed. Bonn. p. 42, ex libr. XXXVI). Initio huius fragmenti, quod ad annum 676 (78) pertinet, scriptor tradit Sullam corpus suum condi iussisse, non comburi, sed L. Philippum

---

additamentum volunt esse ad ea, quae de Volaterris narrantur. Sed verba 'iam ante' connecti possunt cum iis quae sequuntur 'et Samnites etc.' Verba 'anno superiore' cum Franckenio p. 246 adn. glossema librarii puto, quod verba 'iam ante anno superiore' inter se coniungi vel ars grammatica vetat.

id cremandum potius censuisse. Hoc fieri non potest, quin magnopere nos offendat, cum vel contrarium testetur Cic. de leg. II, 22, 56. 57,[1]) quocum consentit Plin. hist. nat. VII, 54, 187. Sed hunc verisimile est ex illo hausisse, cum Cicero in libri septimi scriptorum catalogo nominetur et §§ 18, 85, 135 nominatim afferatur, ita ut Liciniano solum Ciceronis testimonium obstet. Suo autem iure arbitror Mommsenum (R. G. II p. 376) Licinianum praetulisse Ciceroni. Nam et apud Ciceronem et apud Plinium traditur Sullam corpus suum cremari propterea iussisse, ne ut Marii, ita sua ossa effodi et dissipari possent: et ut fieri solet, Cicero suspicatur tantum hanc causam fuisse, Plinius pro re certa eam affert. Haud observatione indignum mihi videtur iam antequam Liciniani fragmenta in lucem venissent, Zoëgam apud Creuzerum (ad Cic. de leg. l. c.) dubitasse, num vera esset illa causa, quae reapse parum videtur esse credibilis. Sulla enim non is erat, qui statum a se creatum tam debilem putaret ac rebus praesentibus tam paulum confideret, ut divinaret suis ossibus similem sortem imminere atque Marii. Neque neglegendum est, quod Plutarcho et Appiano, qui de funere accurate tradunt, ignotum fuisse videtur Sullam ipsum corpus suum iussisse comburi. Itaque maiore fide digna est Liciniani memoria Sullam gentis Corneliae usum servasse, sed L. Marcium Philippum[2]) in senatu cremationi suffragatum esse atque ea de causa, quam Cicero afferentem facit ipsum Sullam.[3]) Ceterum Ciceronem illam causam fando tantum audisse putamus.

---

[1]) 'At mihi quidem antiquissimum sepulturae genus illud fuisse videtur, quo apud Xenophontem Cyrus utitur: redditur enim terrae corpus — gentem(que) Corneliam usque ad memoriam nostram hac sepultura scimus esse usam. C. Mari sitas reliquias apud Anienem dissipari iussit Sulla victor. — Quod haud scio an timens ne suo corpori possit accidere, primus e patriciis Corneliis igni voluit cremari'.

[2]) De quo cf. De-Vit, Onom. IV p. 334, ubi locus Granianus adscribendus fuit.

[3]) Quod apud Lic. legitur: '(Marii) corpus milites inimici extractum monimento disiecerant', apud Ciceronem 'C. Marii — re-

De ipso funere App. b. c. I, 105 sq. et Plut. Sull. 38 uberrime tradunt. Tamen apud Licinianum pauca nova invenimus: 'iustitium fuit matronaeque eum toto anno luxerunt'. De fonte eius ne hic quidem certi quidquam potest dici. Una quidem est similitudo inter

Lic. A 15 sq.	et Plut.
cuius rogo quom ignis esset inlatus, non mediocris imber est insecutus.	τοῦ πυρὸς ἁπιόντος ἐκχυθῆναι πολὺν ὄμβρον καὶ κατασχεῖν ἄχρι νυκτός.

Sed etiamsi certum esset Plutarchum Sull. fin. usum esse Livio, tamen illo uno loco nisus nemo posset demonstrare Licinianum hic, ut censet Maurenbrecher (l. c. I p. 17), pendere ex Livio, quamquam hoc cogitari posse non negamus.

Quod sequitur de Sallustio iudicium iam in exordio examinavimus eodemque loco iam Maurenbrecheri (l. c. I p. 15 et 19, II p. 20 sq.) argumentationem commemoravimus, qua planum fecit Licinianum in iis quae sequuntur (fol. IV r fin. et IV u), ubi res post Sullae mortem gestas explicat, hausisse ex Sallustii historiis.

Tota haec argumentatio talis est, ut non habeam, quod addam.

Iam disputationis finem faciamus breviterque comprehendamus, quae adhuc pro virili parte exposuisse nobis videmur.

Primum apparet perversam esse sententiam satis divulgatam eorum, qui Liciniani fragmenta volunt nihil aliud esse nisi ex Livii historiis excerpta. Potius ex compluribus fontibus illum hausisse intelleximus atque Graecos scriptores eum studiosius ascivisse quam Romanos certo cognovimus. Itaque cum ceteri scriptores Romani, qui Caesarum temporibus rei publicae historiam conscripserunt, aut solum Livium excerpserint aut paucis aliis

---

liquias — dissipari iussit Sulla victor' vix potest appellari rerum discrepantia.

fontibus adhibitis eius libris tanquam fundamento usi sint, Licinianus ob id ipsum insignis est, quod posteriore aetate suo arbitrio ex compluribus fontibus res Romanas conatus est scribere. Tamen non consulto ea, quae Livius tradidit, repudiavit; immo etiam hic in fontibus erat, sed quantum ex fragmentis nobis servatis possumus colligere, ceteris scriptoribus non praeferebatur: Granium eo usum esse demonstrari non poterat nisi in parte belli civilis et Cimbrici.

Quodsi Liciniani rationem fontes in suum usum vertendi respicimus, ita nobis videtur esse iudicandum: Scriptor nesciit complurium fontium narrationes ita inter se coniungere, ut novae narrationis contextus perpetuus evaderet.[1]) Neque enim materia undique antea collecta ad opus aggressus est, sed ut certi temporis spatii historiam scriberet, paucos tantum fontes inspexit et alium post alium exscripsit. Qua scribendi ratione usus, ut inprimis in iis fragmentis cognoscere poteramus, quae sunt de bello civili, non semper ea, quae ex fontibus postea adhibitis sumpta erant, apto loco inseruit. Eodem modo explicandum esse putamus, quomodo factum sit, ut scriptor saepius temporum ordinem prorsus neglegeret. Deinde fontibus non aequaliter usus est; nam exemplar suum modo paene ad verbum vertit — videbamus eum in iis, quae de Antiocho IV et V tradit, concinere cum Polybio et in bello Cimbrico describendo Graecam verborum constructionem 'nam — itaque' servasse — modo valde in artum contraxit ut in narratione belli Mithradatici.[2]) Saepe prodigia

[1]) Sed propterea operis titulum fuisse „Annales“ plane est incertum. Si unquam accurate discrimen inter Annales et Historias factum est, medio altero p. Chr. n. saeculo hanc differentiam iam non fuisse ostendit Gellius Noct. Att. V, 18, qui diversas de hac re affert sententias.

[2]) Quamquam concedendum est scriptorem non omnia eadem cum verborum copia narravisse, tamen non cum Franckenio p. 246 putari debet eum interdum „festinanter totius anni res gestas verbo tetigisse“. Semper rerum descriptio satis copiosa est. Illa sententia nititur fol. V r, ubi sane Licinianus per saturam quaedam ex compluribus annis congessit; sed hanc rem videbamus posse explicari (cf. cap. IV).

et fabellas ex fontibus sumpsit, quibus libenter egeremus. Denique ars componendi satis exilis est: singula facta simpliciter atque sine arte traduntur saepe non coniuncta inter se nisi particula 'et'. Tamen non est, cur de epitome cogitemus. Immo multa huic sententiae repugnant.

Ex iis quae disputavimus intellegitur in Granio Liciniano ingenium fuisse non ita magnum neque idoneum ad id opus conficiendum, quod sibi proposuerat. Tamen congessit non sine doctrina, quae apud priores scripta invenit atque bonos fontes elegit. Quo fit, ut quae tradit Licinianus, si prodigia illa et fabellas omittimus, fere omnia vera esse videantur. Ibi quoque, ubi fontes eius erant ignoti, narratio autem ab ceterorum scriptorum discrepabat, plerumque ei plus fidei putabamus esse tribuendum quam his. Accedit quod fragmentis Liciniani debemus multa nova (inprimis de rebus Bithynicis, de bello Cimbrico et Octaviano), quae iniuria in dubium vocaremus. Falso igitur Madvig (p. 407) et C. G. Schmidt (Phil. XIII p. 223) Mommseno opprobrio fecerunt, quod in historia Romana conscribenda his fragmentis iusto plus tribuit. Quamquam nonnunquam aliter iis utendum putamus atque Mommsen, tamen in ea re huic viro docto assentimur, quod fragmenta Graniana arbitramur minime esse parvi aestimanda.

Excursus I.

(ad p. 22)

De statua Jovis Olympii a Liciniano commemorata si quis quaerat, iam C. O. Müller „Antiquitates Antiochenae“ (Gott. 1839) p. 62 sqq. demonstrare studuit Antiochum IV Daphnae, quod oppidum haud procul ab Antiochia situm erat, speciosam Jovis Olympii statuam ad exemplum celeberrimae illius statuae Phidiacae ex auro et ebore effectam erexisse. — Jovis Olympii Nicephori simulacrum Daphnae fuisse inde certissime apparet, quod Alexander Zebinas ad stipendia militibus paranda ‘e templo Jovis solidum ex auro Victoriae signum’ asportavit (Justin. XXXIX, 2, 5) et postea cum ‘ipsius Jovis aureum simulacrum’ rapere vellet, impeditus est a multitudine (Justin. l. c. et Diod. XXXIV, 28, 1), neque minus ex eo, quod Antiochus IX Cyzicenus traditur loco aurei Jovis ab eo direpti statuam deterioris metalli posuisse (Clem. Alex. Protrept. 4, 52 ed. Dindorf et Arnob. adv. nat. VI, 21 ed. Reifferscheid), quamquam erant qui suspicarentur hanc narrationem ex illa esse formatam.

Statuam vero Diocletianum posuisse falso sine dubio contendit Malalas Chron. p. 307. Iam maiore est fide dignus Ammianus Marcellinus XXII, 13, 1: ‘eodem tempore (i. e. a. 362 p. Chr. n.) diem undecimum Kalendarum Novembrium amplissimum Daphnaei Apollinis fanum, quod Epiphanes Antiochus rex ille condidit iracundus et saevus, et simulacrum in eo Olympiaci Jovis imitamenti aequiperans magnitudinem, subita vi flammarum exustum est’. Praeter hunc locum O. Müller nitebatur nummis Epiphanis et posteriorum regum, in quibus simulacrum est Jovi Phidiaco simillimum. At Overbeck („Griech. Kunstmyth.“ I. Zeus p. 59) ostendit Jovem Nicephorum iam in nummis Antiochi I et simili forma etiam in nummis Seleuci Nicatoris occurrere. Omnia haec nuper Babelon (l. supra p. 21 c. p. XI sq. et XCV) ita studuit inter se conciliare, ut nummis confisus iam Seleucum Nicatorem statuam Jovis Nicephori erexisse putaret, Ammianum Marcellinum autem secutus Antiochum IV arbitraretur illam statuam refecisse.

Quae coniectura quamvis egregia primo obtutu videatur, mea quidem sententia non satis certa est. Neglexerunt enim illi viri docti[1]) praeter Ammianum Marcellinum statuam Jovis Olympii ab Antiocho Epiphane collocatam Granium quoque testari, qui cum simul de Jove Capitolino dicat, necessario eius verba referenda sunt ad illam statuam in oppido Daphne positam.[2]) Ceteroquin coniciam in Liciniani textu nomen loci aut socordia scriptoris omissum esse aut quod equidem magis crediderim, neglegentia librarii intercidisse et fortasse esse inserendum 'Antiochiae', quod ad utramque statuam accomodatum erat. Nam Granium ita etiam situm templi Jovis Olympii significare potuisse et per se intelligitur, quod Daphne prope Antiochiam sita erat[3]), et comprobatur exemplo Justini, qui l. c. sic dicit: 'Alexander Antiochiam profugit. Ibi inops pecuniae . . . . . e templo Jovis etc'. Fortasse etiam post verba 'ex Media'[4]) (B 14) excidit 'reversus', quod cum 'Antiochiae' unum explet versum.

De altitudine statuae si probabile est, quod in textum recepi 'colossos duo[s] denum cubitorum', consentit Licinianus cum Arnobio; Clemens Alexandrinus autem quindecim cubitorum eam statuam fuisse tradit.

Inter nummos autem Jovem Nicephorum prabentes et statuam illam ullus connexus non videtur intercedere, atque summo iure Overbeck tantas nummorum discrepantias demonstrat, ut nummos accurate secundum statuam excusos non esse clare intellegatur.

---

[1]) Solus Cavedoni (Bulletino arch. Napoletano 1858 p. 139) cum verbis Liciniani comparavit Amm. Marc. et nummos Jovem Nicephorum praebentes.

[2]) Praetera Antiochus IV statuam Jovis Olympii collocavit in templo Judaeorum (II. Macc. 6, 2) et in oppido Garizim (Jos. Ant. XII, 5).

[3]) Mommsen „Röm. Gesch." V p. 457.

[4]) Haec coniectura Franckenii valde probabilis mihi videtur: Antiochum in Media fuisse ex II. Macc. 9, 3 et Steph. Byz. s. v. 'Αγβάτανα intelligitur (cf. Wilcken l. c. p. 2475 fin.). Certe reicienda est Mommseni coniectura 'ex [a]e[r]e', cum Jovis Daphnaei simulacrum ex auro factum esse tradatur.

Excursus II.

(ad p. 66)

Gravissima crux interpretandi esse mihi videntur verba Jul. Obs. 56: 'ipse Pompeius afflatus sidere interiit'. Mommsen (R. G. II p. 310 adn.) censet verba 'afflatus sidere' ex Livio sumpta significare „von der Pest ergriffen“, posteriores demum scriptores haec falso interpretatos esse „vom Blitze getroffen“. Quam sententiam ut firmet, Mommsen affert Petron. sat. 2, Liv. VIII, 9, 12, Plin. hist. nat. II, 41, 108. Sed hos locos illam significationem necessario demonstrare nego, id quod ex integris illorum scriptorum verbis te statim intellecturum esse spero:

1. Petron. sat. 2: 'nuper ventosa istaec et enormis loquacitas Athenas ex Asia commigravit animosque iuvenum ad magna surgentes veluti pestilenti quodam sidere afflavit semelque corrupta regula eloquentia stetit et obmutuit'.

2. Liv. VIII, 9, 12: 'Evidentissimum id fuit, quod quacunque equo invectus est (i. e. Decius Mus), ibi haud secus quam pestifero sidere icti, pavebant'.

3. Plin. II, 41, 108: 'Quin in partibus quoque signorum quorundam sua vis inest, ut autumnali aequinoctio brumaque cum tempestatibus confici sidus intellegimus, nec imbribus tantum tempestatibusque sed multis et corporum et ruris experimentis. Afflantur alii sidere, alii commoventur statis temporibus alvo, nervis, capite, mente etc.'

Ex his verbis Plinianis nihil certi colligi potest atque in verbis Petronii et Livii ad sideris vim explicandam adiectivum 'pestilens' vel 'pestifer' est additum, quod latius patet et idem significat atque 'perniciosus' vel 'damnosus'.

Sed exstat aliud testimonium, quo Mommsen sine ulla dubitatione uti poterat. Apud Orosium (V, 19, 18) enim legimus: 'Pompeius fulmine afflatus interiit, exercitus vero eius pestilentia correptus paene totus absumptus est; nam undecim milia virorum de castris Pompei mortua, sex milia autem de parte Octavii

consulis siderata[1]) sunt'. Equidem censuerim verbum 'siderata', si sententiam respicimus, referri non posse nisi ad pestem.[2]) Iniuria Grubitzium (Emend. Oros. 1835 p. 33) cogitasse opinor de alia „coelitus immissa clade". An verisimile putamus de castris Pompei XI milia militum pestilentia absumpta, de castris Octavii VI milia alio morbo, scilicet sideratione, correpta esse? Accedit quod Licinianus (p. 26 B 14 sqq.) computat illa XI et VI milia neque dicit nisi de pestilentia. Atque ad verbum siderandi apud Orosium explicandum iuvat reminisci secundum veterum opinionem pestilentias ortas esse radiis solis nimis calidis, quos tela Apollinis esse putabant (cf. Roscher „Apollon u. Mars" 1873 p. 64).

Sed etiamsi verba Obsequentis secundum locum Orosianum verti posse „von der Pest ergriffen" concedendum est, tamen graves causae Mommseni sententiae obstant.

Primum enim si re vera Pompeius pestilentia absumptus esset, valde miraremur Liciniani verba (p. 26 B fin.) 'orta tempestate et ipse fulmine afflatus est et culmen tabernaculi dissipatum nec spem vitae ostendit etc.', quibus res accuratius depingitur.[3]) Putandum igitur esset haec esse additamenta commenticia Liciniani vel eius auctoris, qui iam falso Livium interpretatus esset.

Deinde grave adversus Mommsenum argumentum inde repeto,

---

[1]) Quod omnes cod. praebent praeter L. (cf. ed. Zangemeisterii), cuius scriba rariorem vocem cum ignoraret, corrupit in 'desiderata'. — 'Sideratum' autem et 'sidere afflatum' promiscue usurpatum esse inter omnes constat.

[2]) 'Mortua' in verbis Oros. offensioni est, cum non sit, cui recte opponatur. Cogitare possis hoc verbum esse glossema. Sed glossemata apud Oros. in textum irrepsisse alibi demonstratum non est.

[3]) Lic. (p. 28 A 12) prodit Pompeium 'tertium post diem' esse mortuum. Quae verba 'tertium post diem' sequuntur, incerta sunt. Scriptorem non scripsisse 'mira t[abe ob]it', quod edd. Bonn. restituunt, ex iis quae supra exponimus, efficitur, nisi forte Lic. censet Pompeium et fulmine afflatum esse et in pestilentiam incidisse. — Hirschfeld proponit '[sp]ir[i]t[um red]dit', quae coniectura litteris traditis similior est quam Keilii '[an]i[m]a[m efflav]it'.

quod etiam App. b. c. I, 68 et 80 atque Plut. Pomp. 1, qui ex Livio non pendent, Pompeium tradunt fulmine ictum esse.[1])

Postremo accuratius inspicias Obsequentis verba: 'caelum ruere visum, arma signaque tacta (sc. fulminibus), milites exanimati; ipse Pompeius afflatus sidere interiit.' Si respicies quam arte verba 'ipse P. afflatus sidere interiit' cum prioribus verbis 'caelum ruere visum etc.' cohaereant, fortasse concedes Livium de Pompei morte idem tradidisse atque reliquos scriptores.

Sed nunc quaerendum esse mihi videtur, quomodo apud Obsequentem verba 'sidere afflatus' orta sint. Ac primum videamus, quid Klebs (l. c. p. 14 sqq.) de his verbis disputaverit. Ut siderationem hominum explanet, proficiscitur ex Scrib. Larg. 101: 'Quamobrem facit et ad tremulos et sideratione temptatos utralibet: una enim ex contractione, altera cum remissione nervorum conspicitur; παράλυσιν hoc utrumque vitium Graeci appellant' (eadem apud Marc. Emp. 20, qui Scribonium exscripsit). Addit locos duos (Petron. sat. 2 verba supra citata et Mart. VII, 92, 9:

'Hoc opus est subito fias ut sidere mutus,
Dicere ne possis, Bacchara, quid sit opus'),

ex quibus apparet sideratos perdidisse facultatem loquendi. Quocum consentit Scribonius Largus, qui siderationem dicit esse παράλυσιν, quam nos vocamus „Muskellähmung". [2]) Quae effici potest multis causis, sed „certum est etiam eum torporem, quo fulmine icti affici solent, aptissime siderationem nominari posse". Itaque Klebs

---

[1]) Velleium (II, 21, 4) cum dicit: 'Post hoc cum utrumque exercitum — laceraret pestilentia, Cn. Pompeius decessit' non necessario Pompeium morbo morientem facere, ut Drumann IV p. 323, 40 censuit, iam Klebs l. c. p. 15 adnotavit. Atque Sauppe „Tulliana" (Ind. lect. hib. 1867/68) p. 16 ante 'decessit' supplet 'de caelo tactus' vel 'fulmine tactus', Halm proponit 'ictus'.

[2]) Siderationem plantarum, cum Caniculae siccitate exarescunt (Plin. hist. nat. XVII, 24, 218 et 222) hic praetermittere possumus. Reliqui loci, ubi sideratio nominatur (bestiarum: Plin. IX, 16, 58 et Veget. Veterin. II, 39; hominum: Plin. XXVIII, 16, 226) ad explicationem morbi nihil afferunt.

discrepantiam inter Obsequentem et Orosium-Licinianum esse negat et verba 'sidere afflatus interiit' interpretatur παραλυθεὶς ἀπέθανεν.

Quae quamvis primo obtutu perspicua videantur, tamen plane certa non sunt. Nam Klebs silentio praeterit locum Orosianum, quo verbum 'siderata' necessario ad pestilentiam referendum esse iam supra commemoravimus.[1]) Sed ipse locus Orosianus ansam nobis praebet nodi expediendi: Licet enim conicere verba 'sidere afflatus' apud Obsequentem de Pompeio dicta neglegentiae epitomatoris, quem Obsequens secutus est, attribuenda esse, epitomatorem enim eam vocem, qua Livius (ut ex Orosio cognoscere possumus) de militibus pestilentia absumptis usus est, falso transtulisse ad Pompeium Strabonem.[2])

---

[1]) Pestilentiam autem cum paralysi coniunctam unquam occurrere negant medici.

[2]) Observanda etiam sunt verba Liciniani (p. 26 B fin.) 'minus validus cum in lecto decumberet', quibus Pompeius traditur morbo aliquo correptus esse, cum fulmine afflatus est.

BERLINER BUCHDRUCKEREI-ACTIEN-GESELLSCHAFT, SETZERINNEN-SCHULE DES LETTE-VEREINS